4137 2/B

E xv
18/p

Coll

Complet

51143

ANDREAE PIQUERII ARCHIATRI PRAXIS MEDICA.

Ad usum Scholae Valentinae.

PARS POSTERIOR.

CUM PRIVILEGIO.

MATRITI. Apud JOACHIMUM IBARRAM, Typographum. Anno M.DCC.LXVI.

Cujus rei non eſt certa notitia, ejus opinio certum reperire remedium non poteſt: verumque eſt ad ipſam curandi rationem nihil plus conferre, quam experientiam (a).... Intereſt enim, fatigatio morbum, an ſitis; an frigus, an calor; an vigilia, an fames fecerit; an cibi vinique abundantia, an intemperantia libidinis (b).

(a) Celſ. *de Medic. lib.* 1. *Praefat. pag.* 13. (b) Celſ. *Ibidem, pag.* 14.

Cautè cum remediis, veluti videntur innoxiis mercari expedit, cum inconcuſſum maneat quamplures eſſe aegritudines ſolis naturae viribus judicandas.... Ratum enim manet apud viros primi ſubſellii, naturam eſſe optimam morborum medicatricem & frequentiores affectus ipſi commiſſos ſponte ſanari..... Hinc patet quantum à ſcopo deflectant, qui ſimpliciora deſpicientes, atque nauſeoſis Arabum opinionibus inhaerentes intempeſtivo remediorum apparatu ſalubriora evertunt naturae conamina, & tralatitia ſaepius remedia ad artis faſtuoſae normam revocant: vae miſellis aegris! ni natura victrix morbum & praepoſtera adminicula ſuperet (c).

(c) Lieutaud. *Synop. univerſ. prax. med. Prooem. pag.* X.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

SUMA DEL PRIVILEGIO.

TIene Privilegio del Rey nueſtro Señor el Doctor Don Andrès Piquèr, Medico de S. M. para imprimir, y vender el Libro, que ha compueſto, intitulado: *Praxis Medica*, Tomo ſegundo, con prohibicion à otra qualquiera perſona de poderle imprimir ſin ſu licencia, bajo las penas contenidas en dicho Privilegio. Su fecha en San Ildefonſo à once de Agoſto de mil ſetecientos ſeſenta y ſeis.

ER-

ERRATA ITA CORRIGE.

Pag. . . 24. . . . lin. 8. . . . . callidiſsimus. . . lege *calidiſsimus.*
Pag. . . 25. . . . lin. 20. . . . feciſſe. . . . . lege *ceſsiſe.*
Pag. . . 65. . . . lin. 6. . . . . aut. . . . . lege *nec.*
Pag. . . 107. . . lin. 7. . . . . Diarroea. . . . . lege *Diarrhoea.*
Pag. . . 176. . . lin. 14. . . . Lieuthaudus. . lege *Lieutaudus.*
Pag. . . 233. . . lin. 3. . . . . altea. . . . . lege *althaea.*
Pag. . . 240. . . lin. 35. . . . Ab hoc. . . . . lege *Ab hac.*

Alia hujus generis errata levioris quidem momenti Lector corriget.

IN-

INDEX CAPITUM.

LIBER TERTIUS.

De Morbis infimi ventris.

CAP.I. De Cardialgia. pag.1.
Cap.II. De Appetentia vitiata. pag.14.
Cap.III. De Cruditate ventriculi. pag.27.
Cap.IV. De Phlegmone ventriculi. pag.39.
Cap.V. De Reliquis ventriculi affectionibus. pag.52.
Cap.VI. De Cholera. pag.70.
Cap.VII. De Lienteria. pag.81.
Cap.VIII. De Dyſenteria. pag.92.
Cap.IX. De Diarrhoea. pag.107.
Cap.X. De Dolore colico-iliaco. pag.119.
Cap.XI. De Jecoris inflammatione. pag.140.
Cap.XII. De Morbo regio. pag.151.
Cap.XIII. De Morbis lienis: ſignanter de Scorbuto. pag.163.
Cap.XIV. De Lumbricis. pag.180.
Cap.XV. De Cachexia & Hydrope. pag.189.
Cap.XVI. De Morbis renum, & veſicae. pag.210.
Cap.XVII. De Morbis uteri. pag.237.
Cap.XVIII. De Affectionibus arthritico-rheumaticis. pag.260.

Haec

HAEC ſola naturae placuerat eſſe remedia parata vulgo, inventu facilia, ac ſine impendio, & quibus vivimus. Poſtea fraudes hominum & ingeniorum capturae officinas invenere iſtas, in quibus ſua cuique homini venalis promittitur vita. Statim compoſitiones & mixturae inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio aeſtimantur: ulcerique parvo medicina à rubro mari imputatur: cum remedia vera quotidie pauperrimus quiſque coenet. (a).

(a) Plin. *Hiſt. Natur. lib. XXIV. cap.* 1.

Itaque hercule in hac artium ſola evenit, ut cuicumque Medicum ſe profeſſo ſtatim credatur, cùm ſit periculum in nullo mendacio majus (b).

(b) *Idem Hiſt. Natur. lib.* 29. *cap.* 1.

LIBER TERTIUS.

DE MORBIS INFIMI VENTRIS.

CAPUT I.

De Cardialgia.

ARDIAS apud Graecos cor, itemque os ſuperius ventriculi ſignificat, ſeu quòd magnus ſit hujus cum corde conſenſus, vel quòd eo affecto damnum facilè cordi communicetur. Igitur dolor ſuperioris orificii ventriculi *Cardialgia*: ejusdem partis morsus aut erosio *cardiogmos*: calor autem vehemens ſtomachi *cauſon* à quibuſdam nominatur; ſed harum vocum diſtinctio nimium ſubtilis confuſionem potius quàm perſpicuitatem parit, praeſertim cum invaluerit uſus eas omnes affectiones ſub uno *Cardialgiae* nomine ſignificandi (a). Eſt ergo *Cardialgia*: *triſtis & moleſtus oris ſuperioris ventriculi ſenſus, nunc dolore, nunc morsu, perpetuò autem anxietate, viriumque impotentia conjunctus.* Diſcimus hinc, non omnem ventriculi dolorem cardialgiam eſſe, ſed eum dumtaxat, qui angoribus, mor-

(a) Vide Foeſium *Occonom. Hipp.* verb. καρδιαλγια, *pag.* 305. Sennert. *Pract. lib.* 3. *part.* 1. *ſec.* 2. *cap.* 15. & 16. *pag.* 408. *ſeq.*

ſibus, moerore, aliiſque hujuſmodi malis comitatur. Cardialgia ſymptoma eſt in actione depravata ſenſus tactus, etenim morſus, angor, anxietas, aliaque id genus incommoda ſpecies doloris sunt (a). Morbus hujus ſymptomatis generator rarò eſt ſoluta unitas, ſaepe intemperies, nam dolorem omnem ab unionis partium ſolutione pendere certum non eſt, ut in Pathologia vidimus (b). Ergo intemperies in qualitatibus, & in ipsa partium vitiata ſubſtantia conſiſtens cardialgiae parens eſſe ſolet. Calor cum ſiccitate frequenter, frigiditas aliaeque qualitates rarenter admodum cardialgiam inducere conſuevere. Sed longè frequentiſsima eſt hujus ſymptomatis cauſa intemperies ex vitiata ſubſtantia ventriculi, ea enim certo modo corrupta aut laceſsita dolorem anxietatemque inducit. Pars affecta eſt orificium ſuperius ventriculi, quod neceſſariò in hoc morbo affectum eſſe oportet, etſi ei vitium ex aliis partibus tum vicinis, ut hepate, liene, inteſtinis: tum diſtantibus, ut pulmonibus, cerebro, nervis, communicari poſsit. Cardialgia, praeter communes omnium morborum differentias, id peculiare habet, ut interdum benigna, ſaepe maligna eſſe ſoleat; unde fit, ut modò facilè ſolubilis, frequentiſsimè autem difficillimam, ac non rarò exitialem habeat terminationem. Habet etiam hic locum diviſio cardialgiae in eam, qua os ventriculi primariò afficitur, aut ob vitium hepatis; fieri enim ſolet, ut jecore bile repleto & ſupra modum calefacto, os ventriculi ſibi propinquitate conſentiens afficiat, & dolere, aut angi cogat, quod velim notent tirones, quoniam acutis morbis cardialgia ſuccedens plerumque ex hepatis phlogoſi, biliſque redundantia procedit.

Inter cauſas occaſionales cardialgiae plethora non infimum locum obtinet, cùm vaſorum repletio in ventriculo, praeſertim circa ejus os ſuperius, hoc malum accerſere ſoleat. Hinc foeminae inſtantibus menſtruis, aut iiſdem quavis de cauſa deficientibus: viri narium haemorragia, aut ſan-

(a) *Vide Patholog.noſtr. tract.3. prop. 13. num.62.*

(b) *Vide Patholog. noſtr. loco proximè citato.*

ſanguinis excretione per haemorroides ex diverſis intervallis tentati: itemque omnes quibus viſcera infimi ventris debilia ſunt atque ſanguinis copia ſupra vires gravantur, huic malo admodum proclives ſunt. Obſtructio non rarò cardialgiam accerſit; ita fit, ut foeminae *chloroſi* laborantes: quicumque cruditatibus, calore, & acrimonia conjunctis infarti ſunt, itemque flatibus & vaporibus vexantur, aut pituitam intra ſeptum tranſverſum & ventrem colligunt (a), cardialgia nullo negotio affligi ſoleant. Sed omnium maximè ad hanc affectionem producendam facit diatheſis, qua humor ventriculi vitiatus, certa corruptionis & acrimoniae forma ſuſcepta, naturam laceſſendo infeſtat. Qui hepatis & lienis morbis: ſcorbuto, atra bile, ſero acri vexantur: inflammatione ſeu phlogoſi ſtomachi correpti: arthriticis, podagricis, eryſipelatoſis, exanthematicis humoribus foedantur, materia intus converſa, facillimè in cardialgiam incidunt. Inter cauſas efficientes aer praecipuum locum obtinet, interdum manifeſtis qualitatibus, ſaepe occulta vi hunc morbum producens. Igitur frigore repentè ſuſcepto poſt corporis aeſtum, aut calore ſummo per aeſtatem, cardialgiam naſci, in proclivi eſt. At per certas temporum conſtitutiones homines huic morbo proniores eſſe, ex Hippocrate diſcimus, propriaque experientia compertum habemus (b). Diaeta, ſi quid aliud, huic malo producendo confert. Cibi acres, ut capſicum, caepa, allia: cibi itidem corrupti in acidam aut putridam indolem degeneres: vinum, omniumque potuum ſpirituoſorum ingurgitatio: venena, aliaque id genus ingeſta mirum quantum huic morbo movendo conferant. Animi pathemata, iram praeſertim & moerorem diuturnum, cardialgiam, aliaſque ſtomachi affectiones poſt ſe trahere, communi certaque experientia innotuit; ita enim comparati ſumus, ut animi affectiones, inter alia corporis damna, ea potiſsimùm inferant quae ſtomachum parteſque vicinas laedunt, quod jampridem monuit Galenus, & poſtmodum

(a) Vide Hipp. *lib.* 7. *aphor. ſent.* 54. | (b) Vide Hipp. *lib.* 5. *Epidem. tex.* 86.

propria obſervatione Baglivius & Hoffmanus confirmarunt (a).

Cardialgia pueros juveneſque magis quam ſenes, foeminas magis quam viros, aeſtate potius quam hyeme invadere ſolet. Interdum ex ſe incipit, ſaepe aliorum morborum conſectanea eſt. Quocumque autem modo ingruat, haec aeger patitur. Dolet ſuperius orificium ventriculi, modò in regione anteriori, quam ſcrobiculum cordis appellant, modò in poſteriori juxta ultimas dorſi vertebras. Nec rarum eſt in utraque parte dolorem ſentiri. Quandoque dolor acutus & vehemens, interdum lentus & obtuſus, non rarò moleſtia adeſt potius quam dolor. Perpetuò hoc malum comitatur anxietas, inquietudo, jactatio, animi angor, reſpirationis anguſtia circa diaphragma: pulſus parvi ſunt, obſcuri, inordinati: febris aliquando expers videtur aeger, ſed reipſa febricitat, ſeu quod univerſum corpus afficiatur, ſeu ſola pars dolens febrilem calorem contineat. Ardor praeterea, aeſtus, morſus, irritatio moleſtant, itemque inanis vomendi conatus, ructus, inflatio. Creſcente morbo omnia haec augentur, interimque aeger vigilat: febris, ſi forte prius occulta eſſet, manifeſta fit: ſitis ſupervenit: lingua ſicca, anxietas, morſuſque intolerabilis: pulſus nimium debiles: inquietudo maxima: mentis vacillatio: extremorum frigus: ſudor inanis: animi deſperatio. Quod ſi malum eò uſque increſcat, ut aegrum ad interitum ducat, ſudores fiunt frigidi: vires labaſcunt: omnium actionum inertia: pulſus parviſsimi, debiliſsimi: interdum convulſio: plerumque ſyncops: mors. Dum verò aegritudine in ſtatu conſtituta ſudor accedit blandus per univerſum corpus, pulſus vividiores, ſomnus, reſpiratio libera, quies, aliorumque ſymptomatum imminutio, ſalus ſpectanda eſt. Cardialgia morbus eſt celer, acutus, periculoſus. Etſi interdum aegri citò ex hoc malo ſublevati ſint, non tamen fidendum experti novimus, & ex be-

(a) Galen. *de Caus. Sympt. lib.* 2. *cap.* 5. Baglivius *Praxi Med. lib.* 1. *cap.* 14. §. 3. *pag.* 92. Hoffm. *Medic. Ration. ſyſtem. de haemorrag. & dolorib. ſec.* 2. *cap.* 2. §. 13. *pag.* 259.

benigno atque miti malignum fieri, ſaepe vidimus. Nec novum eſt aegrum ſanatum, facilè leviſsimis de cauſis iterùm affici ob indolem morbi facilè revertentis.

Curatio ita inſtituenda eſt, ut citò auxilia praeſtemus, niſi enim malum ſub initiis leniatur, celeriter necat. Venae ſectio in cardialgia ex vi morbi locum non habet, etenim os ſuperius ventriculi hoc remedii genere laeditur. Ex accidenti, ut ajunt, congruere poteſt, quoties ſuppreſa aliqua evacuatio initium aut fomitem morbo dederit. Purgatio hic noxia eſt, quemadmodum in omnibus doloribus partium interiorum, ubi ardor & aeſtus ipſos comitantur. Cavendum quam maximè ab emeticis, incipiente morbo, convulſiones namque poſt ſe trahere ſolent. At cum vi naturae, & Medici ope malum remiſſum fuerit, membraque laxata, opportunum eſt vomitorium ritè praeſcriptum. Ergo oleum amigdalarum dulcium recentiſsimè extractum: aqua ſimplex frigida ſaepius propinata, aut modico aceto, vel ſpiritu dulci nitri acidula facta, longè praeſtantiſsima remedia ſunt. Mixtura ex aquis bugloſſae, borraginis, graminis, endiviae cum ſyrupo viperinae, acetoſae, aut intybi, additis pulveribus nitri, matris perlarum, cornu cervi ex arte praeparatis, identidem praeſcripta, ex uſu eſſe conſuevit. Proſunt per externa ſemicupium, lintea aqua & aceto (poſcam vocant) madefacta & ventriculi regioni applicata, itemque vivorum animalium omenta, aliaque id genus medicamina ſatis nota. Clyſteres ex aqua, oleo, & ſaccharo utiles ſunt, & iterari pro re nata poſſunt. Nec ſpernendum Alexandri Tralliani remedium: „ Panis ſcilicet ex aqua frigida... nihil enim „ adeo ipſis confert, ut ſi non tardè cibum capiant, ſed „ circiter tertiam horam, aut quartam panem ex tepida „ aut frigida aqua ſumant (a). Quibuſdam conſului cum fructu, ut panem dulciarium (vulgò vizcochos) aqua frigida imbibitum ſumerent. „ Experientia etiam crebriori didici- „ mus (verba ſunt Hoffmani) in hoc attroci affectu, ſi à bile „ nimis calida obortus fuerit, ſolam aquam puram & fri-

„ gi-

(a) Alexan. Trallian. *lib.7. cap.* 12. *pag.*277.

„ gidam per vices uſque ad menſuram dimidiam vel ultra „ hauſtam, tecto bene corpore, & impoſito ſtomachali re- „ gioni calido fomento inſigniter profuiſſe, ac ſubſequuto ſu- „ dore per univerſum corpus dolorem ſummo cum levami- „ ne diſcuſſum.... Sub hoc ſtatu magnopere cavendum eſt „ nè Medicus calidas eſſentias ſtomachales vel carminativas „ porrigat, neque crebriori calidorum infuſorum uſu aegrum „ maceret, quippe haec omnia dolorem magis augent quam „ minuunt (a). Mihi ergo non probantur medicamenta ca- lida & ſpirituoſa, quae Neoterici aliqui, ſed praeſertim An- tonius de Haen, pro cardialgia chronica nimium laudant (b), familiare enim eſt huic auctori, alias commendando, ſuas curationes & formulas remediorum intemperanter extolle- re. Frictiones crurum, brachiorum, imo & ſpinae, modi- cae tamen nec vehementes ſed ſaepius iteratae, ſolatium in hoc malo inferre conſueverunt. Laudant aliqui roborantia ex cinnamomo, abſinthio, camomilla, meliſſa, conflata, & ſub forma tincturae, eſſentiae, elixiris praeſcribunt, qui- bus ad nauſeam uſque repleta ſunt noſtrorum temporum pharmacopolia. Nec deſunt qui grana piperis integra, imo & ſinapi interius aſſumenda praeſcribant (c). Sed ſi unquam alias hic locum habet Plinii obſervatio, ex Arabia ſcilicèt & India, magna pompa, multa medicaminum genera adſpor- tari, cùm remedia vera quotidie pauperrimus quiſque ce- net (d). Interim tamen iis, qui cardialgiae proclives ſunt, ſua- dendum eſt, ut aerem frigidum & ventilatione depuratum hauriant, fugiant ſolem, levique veſte ac molli & uſu prio- re detrita contegantur, motus nimios vitent, ciboſque ca- piant ex infirmiſsima materia, ut nutriant, non onerent. Cer- tè haec omnia ritè & religiosè obſervare in hoc morbo plus valet quam multiplex decantata pharmacorum farrago.

(a) Hoffm. *Medic. Ration. ſyſtem. de haemorr. & dolorib. ſec. 2. cap. 2. §. 3. & 5.*

(b) Anton. de Haen, *tom. 3. part. 6. cap. 1. pag. 6. & ſeq.*

(c) *Vide Medic. Vratislav. Hiſtor. morb. anni 1702. pag. 350.*

(d) Plin. *Hiſt. Natur. lib. 24. cap. 1.*

APHO-

APHORISMI.

I.

In febribus circa ventrem aeſtus vehemens & oris ventriculi dolor, malum (a).

Duplex genus febrium cardialgiam accerſere ſolet, ſcilicèt ardens, & tertiana. Si febris ardentis fomes os ventriculi ſuperius occupet, ibique aeſtum & dolorem inducat, diſpoſitionem eryſipelatoſam, aut phlegmonoſam adeſſe cenſendum, quod malum eſſe, ſaepeque lethale, novimus. Hunc aegrorum ſtatum graphicè depinxit Hippocrates in prognoſticis, noſque ex ejus mente anxietates, jactationes, implaciditatem, quibus cardialgici vexari ſolent, longè explicuimus (b). Sub hoc ſtatu nitrum multa aqua dilutum, ſpiritus nitri dulcis guttulae aliquot in juſculo pulli gallinacei ex herbis refrigerantibus portulaca, acetoſa, borragine, aliiſque hujuſmodi, prodeſſe conſueverunt. In tertianis ſubacceſſionum initiis cardialgia ingruit, quae cortice peruviano certò profligatur. Dandus tamen hic cortex eſt citò, neque aliis ſpectatis acceſſionibus; qui enim corpus evacuando moras traxerunt, malum poſtea viderunt in lethalem ſyncopem converti. Legendus Mortonus, qui dé cardialgia febrium intermittentium cortice kinae fugata egregiè tractavit.

II.

Stomachi dolor & pulſus hypocondriorum febre extincta, malum denuntiant, idque cum alias, tum in ſudatiuncula (c).

In inflammationibus partium vicinarum diaphragmati, & ori ventriculi ſuperiori febris in *lypiriam* verti ſolet, non quod ipſa deficiat, ſed quod refrigeretur aeger per exterio-

(a) Hipp. *lib.* 4. *aphor. ſent.* 65.
(b) Hipp. *lib. Progn. ſec.* 1. *ſent.* 15. *Vide Illuſtr. noſtr. ad hunc locum pag.* 41. *& ſeq.*
(c) Hipp. *in Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 11. *ſent.* 13.

riora, cardialgia cum dolore & aeſtu interiora occupante. Ergo, ſi imminuta febre inflammatoria, ſtomachi dolor & pulſus hypocondriorum maneat, ſummum eſt aegri diſcrimen, multoque magis ſi ſudatiuncula haec omnia comitetur. Quid tum agendum, quidve de extremarum partium frigiditate ſentiendum, longè diſcuſsimus in tractatu de febribus lingua vernacula (a).

III.

Dolorificum cardias, id eſt, oris ventriculi malum, *aetate jam grandi, crebrò revertens, repentinam mortem oſtendit* (b).

In ſenibus cardialgiam crebro revertentem, tum demum corde in conſenſum tracto, ſubita & lethali ſyncope vitam extinguere non una tantum vice obſervavimus.

IV.

In lumborum dolore praegrandi quæ inde veniunt cardialgiae ſigna ſunt haemorroica, aut etiam antegreſſa (c).

Dum ſanguinis excretio imminet ſeu per haemorroides in viris, ſeu per uterum in mulieribus, ſolemne eſt antecedere cardialgiam cum lumborum dolore. Sub hoc caſu nihil tentandum, quod ſanguinem fluxurum avertere poſſit, quin potius frictionibus & lavationibus partium inferiorum natura, quò ipſa vergere vult, eſt ducenda.

V.

Lumborum dolor cardialgico cum excreatione violenta nonnihil præſefert convulſificum (d).

Sputatio copioſa in cardialgia ſaepeſaepius atram bilem in hypocondriis ſubeſſe teſtatur, quam etſi interdum convulſiones ſequantur, ut plurimum tamen, niſi error co-

mi-

(a) *Tract. de Febrib. cap.* 4. §. 6. *pag.* 49.

(b) Hipp. *in Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 11. *ſent.* 16.

(c) Hipp. *in Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 12. *ſent.* 8.

(d) Hipp. *in Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 12. *ſent.* 15.

mitatur, non ſuccedere cernimus, ſed potius irritos vomendi conatus, ut optimè notat Duretus (a). Oportet ergo neque ſputationem prohibere, nec vomitum violenter excitare, quicumque enim conatus, etſi leviſsimi, nocent. Ergo quae bilem atram corrigunt & ab ea inductas agitationes leniunt, & ſedant, hic proſunt. Videnda quae attulimus agentes de melancholia.

V I.

A cardialgia cum torminibus ventris ferae prorumpunt (b).

Perpetuum non est cardialgiam cum torminibus à lumbricis naſci, ſed interdum animalcula haec tale malum induxiſſe fidis obſervationibus conſtat (c). Igitur caetera inſpicienda, quae lumbricorum praeſentiam monſtrare ſolent, quibus ſi cardialgia jungatur, non modò aegritudinis indicium, ſed & curationis norma demonſtratur.

V I I.

Non febricitanti appetitus dejectus, oris ventriculi morſus, & tenebricoſa vertigo, & os amareſcens ſurſum purgante opus eſſe indicat (d).

Hanc ſententiam de vertigine loquentem libro primo hujus operis explicavimus. Nunc quatenus agit de morſu oris ventriculi expendenda eſt. Igitur concurrentibus omnibus phoenomenis in textu propoſitis, ſi aeger ad vomitum proclivis ſit, nullum praeſtantius remedium emetico medicamento eſt, ut in Illuſtrationibus ad Hippocratis Prognoſtica monſtravimus (e). At ſi bilis atra viſcera occupet, aut occulta febris, vel inflammatio, aut phlogoſis adſit, vomitorium periculoſiſsimum eſt. „ Maximè omnium, in-
„ quit Junckerus, evitandus eſt error ille graviſsimus, ubi

(a) Duret. *loco ſupra citat. pag.* 185.
(b) Hipp. *in Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 11. *ſent.* 15.
(c) Vide Bonet *Sepulchret. volum.* 3. *pag.* 527. Sauvag. *Noſolog. Method. claſ.* 7. *num.* 20. *tom.* 3. *part.* 1. *pag.* 129.
(d) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. ſent.* 17.
(e) *Vide Illuſtr. noſtr. ad* Hipp. *Progn. ſec.* 1. *ſent.* 15. *pag.* 41.

„ in cardialgia ſymptomatica, nempè paſsionibus hypocon-
„ driacis & hyſtericis vomitoria praeſcribuntur: hac enim
„ ratione delirium, imò maniam induci obſervatum eſt (a).

VIII.

Stomachus propter phlebotomiam eſt debilis (b).

Cauti ſint tirones, dum os ventriculi aegrotat, in ſanguine extrahendo, mirum enim, quantum haec pars à venae ſectione debilitatur. Egregia hac de re conſilia dedit Galenus. „ Si quis febricitet, inquit, & adſit plethorica diſ-
„ poſitio, verùm ex recentibus cruditatibus ſit, ac mor-
„ ſum ſentiat afflictumque os ventriculi, vel ſi etiam hu-
„ morem aliquem malum evomuerit, & in hujus tranſitu
„ non parùm fuerit offenſus, adeo ut graviter ſe habeat
„ atque anxiè: numquid hic ad febrem reſpicientes ſolam
„ multitudinem evacuare tentabimus (quod alioquin ſine
„ moleſtia faceremus), an prius ori ventriculi providebimus,
„ ac deinde poſtquam circa hoc benè ſe habuerit, quam
„ contigerit totius corporis evacuationem faciemus? Mihi
„ quidem ita faciendum videtur. Multos itaque ſaepius vidi
„ qui ita affecti erant quoſdam interiiſſe, nonnullos ad ex-
„ tremum periculum fuiſſe perductos, cùm Medici eos eva-
„ cuare tentaſſent, antequam os ventriculi corroboraſſent (c).
Quod ſi ſanguinis aliqua ſuppreſio fomitem morbo dederit, vena ſecari poteſt, ita tamen ut parcè admodum cruor educatur, & ventriculi habeatur cura maxima. Videndus utique Heredia noſter, qui hanc ſpartam optimè attigit (d).

IX.

Frequentiſsimum eſt ejus (ſtomachi) *malum quo reſolvitur: neque ulla re magis aut afficitur, aut corpus afficit* (e).

In

(a) Junck. *Conſpec. Medic. Pract. tab.* 105. *pag.* 828.

(b) Avicen. *lib.* 1. *Fen.* 4. *cap.* 20. *pag.* 78.

(c) Galen. *de Arte Curat. ad Glaucon. lib.* 1. *cap.* 14.

(d) Hered. *de Morb. acut. ſec.* 6. *diſp. unica, cap.* 3. *pag.* 153. *ſeq.*

(e) Celſ. *de Medicin. lib.* 4. *cap.* 5. *pag.* 205.

In libro primo hujus operis agentes de paralyſi diximus, nervorum reſolutionem non modo membra motui deſtinata, ſed & viſcera interdum occupare, quorum functiones ejus morbi vi aut prorſus abolentur, aut à ſuo robore deficiunt. Stomachi reſolutionem hic adducimus, quoniam ex cardialgia, praeſertim improvidè tractata, in eam fieri ſolet tranſitus, dum ſcilicèt ſtomachi ſenſus ſtupet ob nervorum reſolutionem. Hujus affectionis meminit Avicenna (a), Sennertus perſpicuè deſcribit (b), ac demùm Sauvages cardialgiam paralyticam appellat (c). Sed Celſus omnium optimè hoc mali genus his verbis explicuit: „ Vulgatiſsimum verò peſsimumque ſtomachi vitium eſt reſolu„ tio, id eſt, cum cibi non tenax eſt, ſoletque deſinere ali „ corpus, ac ſic tabe conſumi (d). Memini me vidiſſe aegros qui, nulla data occaſione, ſine ullo tumoris aut alterius morbi ſigno cibum omnem revomentes tabidi interiere, quod malum ex ventriculi reſolutione naſci, conſentaneum eſt. Difficillima, fateor, eſt hujus morbi curatio, ſed quod Celſus conſulit proponere non gravabor. „ Huic ge„ neri, inquit, inutiliſsimum balneum eſt. Lectiones, exer„ citationeſque ſuperioris partis neceſſariae, item unctiones „ fricationeſque: hinc perfundi frigida atque in eadem na„ tare, canalibus ejuſdem ſubjicere etiam ſtomachum ipſum, „ & magis etiam à ſcapulis id quod contra ſtomachum eſt. . . „ Cibi quoque aſſumendi ſunt frigidi, qui potius difficul„ ter coquuntur quam facilè vitiantur. . . Potui quidem aptiſ„ ſimum eſt vinum frigidum. . . Si cibus non continetur, „ danda aqua, & eliciendus plenior vomitus eſt, iterum„ que dandus cibus, & tum admovendae duobus infra ſto„ machum digitis cucurbitulae, ibique duabus, aut tribus „ horis continendae ſunt (e).

(a) Avicen. *lib.* 3. *Fen.* 13. *trac.* 1. *cap.* 16. *pag.* 286.

(b) Sennert. *Pract. lib.* 3. *part.* 1. *ſec.* 2. *cap.* 15. *pag.* 408.

(c) De Sauvag. *Gener. morb. claſ.* 7. *num.* XX. *pag.* 127.

(d) Celſ. *de Medic. lib.* 4. *cap.* 5. *pag.* 207.

(e) Celſ. *de Medic. lib.* 4. *cap.* 5. *pag.* 207.

X.

Regionem ventriculi nonnumquam & paulò inferiorem dolor haud mitior quam in paſsione colica iliacave primùm obſidet, quem vomitiones ſequuntur enormes nunc viridis materiae, nunc verò flavae. His accedit (quod ſaepe obſervavi) major animi dejectio deſperatioque quam in alio morbo quocumque (a).

Experientiſsimus Sydenhamius fideli obſervatione adnotavit, in foeminis hyſtericis & viris hypocondriacis fieri dolorem acerbiſsimum in regione ventriculi juxta cordis ſcrobiculum, ſaepè humoris viridis per vomitum rejectione comitatum, qui tamen nec per venae ſectionem, nec emetica, aut purgantia, neque aliud quodvis evacuationis genus tolli patitur, ſed per anodina & ex opio parata medicamenta. Ataxia nimia ſpirituum cum acrimonia conjuncta hunc morbum creans agitationes ullas minimè tolerat, quin potius ipſe per methodum Sydenhamii malum hoc non ſemel extinctum conſpexi.

X I.

Propterea ſanè in hoc loco anxietatem ex calida obortam frigida ſedat. . . . . Propterea ſanè & in animi deliquiis frigidam extremis partibus affundere prodeſt (b).

De frigidae perfuſione in tollenda extremarum partium frigiditate, dum interiora aeſtuant in febribus, loquuti ſumus in tractatu de febribus lingua vernacula conſcripto (c). At remedium, quod hic praeſcribit Hippocrates ad anxietatem ex oris ventriculi affectione natam, magnum eſſe pro cardialgicis praeſidium novimus, dum experti ſumus, pedes manuſque, itemque faciem frigida aqua perfundere in his morbis profuiſſe. „ Cujus exempli occaſione, inquit Mar-
„ cianus, non praetereundum eſt, hoc remedium frigidae
„ aſperſionis extremorum prae aliis omnibus praeſentaneum
„ eſſe

(a) Sydenh. *Obſerv. Medic. ſec. 4. cap. 7. pag. 42.*

(b) Hipp. *de Humid. uſu verſu 45.*
(c) *Vide Tract. de Febr. cap. 4. §. 6. p. 49.*

„ esse pro anxietate tollenda, quod à Rasi capite de cardial-
„ gia ego ipse edoctus saepius feliciſsimè expertus sum, po-
„ tiſsimum verò si ab oris ventriculi affectione dependet,
„ cui etiam frigida in potu prodesse poterit (a).

XII.

Anxietatem, oscitationem, horrorem, vinum par pari aqua potum solvit morbum (b).

Sunt qui, aestatis praesertim tempore, anxietate facillimè corripiuntur ob bilis circa os ventriculi excandescentiam, quam aqua vino permixta mirificè sedat. Neque perpetuò aquam aequa portione cum vino miscere expedit, confert enim interdum sub pauca vini quantitate multùm aquae perfundere, quod iis maximè convenit quibus hepar calidius & bile repletum cardialgiam & anxietatem producit. Hieronymus Pardo Pincianus integrum librum elegantem satis nec ineruditum de hoc Hippocratis aphorismo conscripsit, quem si tirones legant, laboris non poenitebit.

XIII.

Quibus inter ventriculum & septum transversum pituita includitur & dolorem affert non habens viam ad alterutrum ventrem: iis per venas in vesicam pituita versa solvitur morbus (c).

Hypocondriacis, languentibus, & stomacho debilibus solemne est pituitam sensim coacervari circa os ventriculi, in omento, parte cava hepatis, liene, aliisque particulis propè stomachum & septum transversum subjacentibus, seu ex ciborum reliquiis incoctis, seu ex destillatione à capite ibi cumuletur. Quocumque autem modo id fiat, per tempus solet quiescere sine notabili noxa; cùm verò excalefacta, agitata, aut acris reddita nimium commovetur, do-

---

(a) Marcian. *Com. in lib. Hipp. de Humid. usu, vers.* 42. *pag.* 128.

(b) Hipp. *lib.* 7. *Aphor. sent.* 56.

(c) Hipp. *lib.* 7. *Aphor. sent.* 54.

dolorem in dictis partibus producere ſolet non rarò cardialgiam aemulantem. Igitur per oleoſa blanda tentanda eſt purgatio ſeu per vomitum ſeu per alvi fluxum, quibus pituita expurgetur. Quod ſi eos motus natura renuat, ad urinae vias materiam eſſe ducendam, optimo conſilio monet Hippocrates. Sunt qui nimis anxiè inquirentes vias per quas humor ducendus ſit, hunc aphoriſmum parvi aeſtimant, ſed natura invenit ſibi vias Medicis quantumvis ſolertiſsimis ignotas, atque turpe est, quod veris conſtat obſervationibus in dubium vertere, quòd modum, quo natura operatur, ignoremus. Optimè Gorterus: „ Diutiſsimè, inquit, hic „ haerere poſſe pituitam ſine ullo dolore, & ſine mutatio„ ne coloris in facie, aliquoties obſervavi, tandem verò ſen„ ſim acriore facta pituita dolor generabatur.... Talem nunc „ collectionem pituitae obſervavit auctor curatam fuiſſe „ per urinam multam, quod verum eſſe nos quoque ex„ perti ſumus, etiamſi multi negant viam (a).

CAPUT II.

DE APPETENTIA VITIATA.

CUM animalia perpetuò diſsipentur & continua reparatione indigeant, natura eis appetitum ciborum indidit, quo verſus alimenta feruntur ad ſui conſervationem neceſſaria, ut in Phiſiologia longè monſtravimus (b). Cum verò morborum vi appetitus à ſtatu naturali deflectit, vitiata oritur appetentia, quae eſt: *Inordinatus & inverſus appetitionis modus, quo natura in cibis appetendis à ſtatu propriae conſervationis recedit.* Igitur appetentia vitiata ſymptoma eſt facultatis animalis ſenſitivae (c). Morbus hujus ſymptomatis generator multiplex & varius eſſe ſolet, nam etſi intemperies id producat, modò quae in qualita-

---

(a) Gorter. *Medic. Hipp. lib. 7. aphor. 54. pag. 490.*

(b) *Vide Phiſiolog. noſtr. tract. 6. prop. 45. num. 178. & ſeq.*

(c) *Vide Phiſiolog. noſtr. loco proximè citato.*

tatibus, ſaepè quae in vitiata partium ſubſtantia conſiſtit (a), tamen multiplici & ineffabili vitio laedi ſolet temperies, atque adeo multae diverſaeque ſunt leſae appetitionis formae (b). Pars primario affecta eſt orificium ſuperius ventriculi: quae autem malum huic orificio communicare poſſunt, plurimae ſunt. In primis hepar, lien, inteſtina, ceterae in abdomine contentae partes ob vicinitatem: deinde cerebrum ob nervorum neceſſarium uſum ad ſenſum & appetitum eliciendum: pulmones, cor, ſeptum tranſverſum ob ſummum quem habent cum ore ſuperiore ventriculi conſenſum: ipſe corporis habitus, omneſque demum ejus partes male affectae appetitionem ciborum vitiare poſſunt, ita enim comparati ſumus, ut ventriculus officium praeſtet toti corpori, atque adeo univerſum corpus naturae lege cum ventriculo mirificè conſentiat. Vitiata appetentia tripartitò dividitur, alia enim ex toto aboletur, alia minuitur, alia demùm depravatur. Quid ſit appetentia abolita, & diminuta, omnes norunt. Depravata autem fit cum vel nimium appetit homo, vel in res alienas atque naturae contrarias ejus appetitus fertur. Conſiderari etiam debet vitiata appetentia, in qua ſolus appetitus vitiosè afficitur, aut etiam ſenſus cum eo conjunctus, vehementius namque malum hoc quam illud monſtrare ſolet (c). Igitur dum deficere incipit appetitio ciborum graecè novo vocabulo *dyſorexia*, latinè *appetitus deficiens*, *imminutus*: ſublata prorſus appetentia à veteribus Graecis *anorexia*, à Latinis *inappetentia*: quod ſi aeger non modò cibos non appetat, quin potius horreat & averſetur, graecè *apoſitia*, latinè *cibi faſtidium* vocari solet. Appetentia depravata, qua aeger cibos nimium appetit, graecè *bulimus*, latinè *vehemens fames*: cum nimiae appetitioni accedit ingeſtorum vomitus à quibuſdam Graecis *phagedena* (d), aliis *orexis chynodes*, à Latinis *appetentia canina*: quod ſi appetitus in res extraneas & incongruentes feratur

grae-

(a) *Vide Pathol noſtr. tract.* 1. *prop.* 2. *num.* 9. *ſeq.*

(b) *Vide Phiſiolog. noſtr. tract.* 6. *prop.* 46. *num.* 179.

(c) *Vide Phiſiolog. noſtr. tract.* 6. *prop.* 46. *num.* 179.

(d) Vide Coeli. Aurel. *Morb. chron. lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 446.

graecè *malacia*, à Latinis generali depravatae appetitionis nomine ſignificatur. Haec omnia, etſi importuna fortaſſe videri poſsint, tamen placuit perſpicuè proponere, ut tirones in librorum lectione diverſos appetitionis modos per diſtincta vocabula ſingulis impoſita diſtinguere valeant.

Inter cauſas occaſionales plethora varios inappetentiae gradus inducere poteſt: tollit enim naturae indigentiam, ſupplet alimentorum defectum, naturamque gravando ejus vires minuit, nec rarò obruit. Ipſe attentè obſervavi, defectum appetentiae ciborum in pletoricis plus valere ad agnoſcendum diſcrimen, quod ex nimia plenitudine imminet, quam pulsûs aliorumque ſignorum explorationem. Hinc qui ſanguinem fundere ſolent, ſi ſolita evacuatio ſupprimatur: heluones: potatores, aliique id genus homines, dum ſani ſunt, parùm cibos appetunt; cùm aegrotant, in cibi faſtidium facile delabuntur. Obſtructio appetitum extinguit, primùm quia natura in humoribus crudis coquendis & digerendis vires ſuas exerens cibos plerumque averſatur. Deinde quia per humores obſtruentes occluſis viis liber extremarum partium cum ventriculo conſenſus intercluditur. Non aequè cauſae iſtae occaſionales ad augendum appetitum concurrunt, niſi accedat diatheſis, quae praecipua eſt omnium laeſarum appetitionum occaſionalis cauſa. Fatendum itaque, ineffabilem eſſe modum quo natura diverſis & praeternaturalibus appetitionum formis laedi ſolet, quod ſoli diatheſi determinatè laedenti, at incomprehenſibili, tribuendum. Quis porrò explicet mirabiles appetitiones mulierum utero gerentium, dum carbones, gipſum, imo & putidiſſima quaeque interdum appetunt? Cur febricitantes ferè omnes appetitu ſtatim priventur? Cur etiam aegrotantium aliqui rara & obſoleta appetant, quae ipſis oblata ſaepè ſalutem attulerunt? Cur denique ita quandoque erigitur appetitus, ut continuò cibos aſſumere oporteat, eoſque vomendo iterum ciborum ſumptionem repetere quidam cogantur? Haec & plura alia phoenomena circa appetitum in praxi obſervare omnibus conceditur, ea perſpicuè intelligere nemini datum eſt. Id unicè ſcimus, nativum humorem ventriculi tam variis modis immutari, ut varias atque di-

diverſas acquirat diatheſes, quibus diſtinctae reſpondent variarum appetitionum formae. Inter cauſas efficientes aër maximum locum habet ad appetitum laedendum. Ex verò notavit Hippocrates, certa anni conſtitutione aegros à cibis non abhorruiſſe, quin potius ad alimenta ſumenda fuiſſe promptos (a). Alia autem conſtitutione monet, omnium ſignorum peſsimum fuiſſe ciborum faſtidium, pauciſsimi enim evaſerunt ex iis qui cibos averſabantur (b). Quinimo determinatis anni temporibus juxta aëris indolem variat appetitus, ut hyeme melius quam aeſtate cibos appetamus, atque ſereno coelo melius quam humido. Diaetam juxta rerum varietatem modo appetentiam tollere, modò augere nemo non intelligit. Nimia ciborum vinique repletio: pinguia alimenta diutius uſitata: immodicae exercitationes tum corporis, cum maximè mentis: otium: appetitionem tollere conſueverunt. At nimius acidorum uſus: olera, praeſertim frigida, ut intubus, lactuca: acetum: aqua frigida, aliaque id genus multa appetitum excitare apta nataque ſunt. Pathematum animi vis in appetitione ciborum immutanda adeo vehemens eſt, ut plurimi viſi ſint probè appetentes, quibus ex ſubita animi paſsione appetentia prorſus extincta ſit.

Appetentia diminuta, abolita, aut nimium aucta ex ſe ipſis facilè innoteſcunt, neque aliis indigent ſignis, ut promptè agnoſcantur; effectus tamen harum affectionum conſectarios Medici intelligere debent. Igitur inappetentiam incipientem, ſi tamen ulteriores vires habitura eſt, comitantur implaciditas, animi dejectio, interdum ſitis & ardor: quandoque ſine ſiti: lingua vitiata: febricula ſaepe occulta: gravitas ſtomachi totiuſque corporis: interdum nauſea & vomitus. Si ad ſummum inappetentia acceſſerit, praeter haec omnia corpus conſumitur: vires languent, ut difficilis ſit reparationi locus, hinc hydropes, tabes, cachexiae, nullumque leve malum timeri in longa appetentiae amiſsione poteſt. Quod ſi poſt ciborum faſtidia appetitus denuò excitari incipiat, ut aegri ad ea, quae offeruntur,

(a) Hipp. *lib.* 1. *Epidem. ſect.* 1. *verſ.* 49. | (b) Hipp. *lib.* 1. *Epidem. ſect.* 2. *text.* 9.

benè ſe habeant, aut ex imbecillitate robur ſuſcipiant, in ſanitatem tendere tenendum eſt. Jàm verò cum inappetentia magnum malum ſit, nimia tamen ciborum appetitio pejor eſt, ipſa namque diu vigente non modo corpus non alitur, ſed ferè contabeſcit; neque rarum eſt, poſt nimias atque morboſas appetitiones aegros animo linqui, & tum demum in ſyncopem incidere. Itaque ſic ferè incidit, ut in bulimo primum aegri inſtanter cibos expetant, poſt appetentia deſtituantur, deinde deficiant animo. Ad haec decolores ſunt, torquentur ſtomacho, refrigerantur corde & extremis partibus, pulſuſque admodum obſcuros habent. Facies eiſdem intumeſcit, quandoque albicat, ſaepe fuſco & lurido colore tingitur. Modò ſitiunt, aeſtuant, extenuantur: rarò ſine ſiti. Quocumque autem modo id fiat, omnibus nimium eſurentibus commune eſt ſuctionem vehementiſsimam in ventriculo ſentire, quam maxima ſequitur appetentia. Cum animus deficit ſimulque concidit ſpiritus, & extrema refrigeſcunt, mors in propinquo eſt, quod infortunium quibuſdam in locis deſertis, aut in balneo, auxilii facultate deſtitutis miſerè advenire conſuevit. In fame canina haec omnia contingunt, quibus accedit vomitus, ita tamen ut vehemens edendi cupiditas à cibis ad vomitum, & à vomitu ad cibos aegros, more canum, ſubinde reddere cogat: ſed non potens ventriculus famem ſuſtinere, homo prius multa copioſè vorare, nec potens devorata ſuſtinere, celeriter vomere cogitur, quod mali genus altum ſoporem, inteſtinorum levitatem, hydropem, atrophiam, ipſamque demum necem inferre ſolet. Inappetentia familiaris eſt ſenibus, à morbo convaleſcentibus, otio vinoque deditis, ſicut appetitio nimia congruit pueris, juvenibus, & quovis modo exercitatis. Idque non omittendum, foeminas utero gerentes depravata appetentia, quam *malaciam* vocant, prae caeteris tentari, maximè circa quadrageſimum à conceptu diem, quae ſaepe ad quartum uſque menſem durat.

Inappetentia, ſi recens ſit neque nimium ſtabilis, non magnam pro curatione opem poſtulat, viribus enim naturae optima diaeta tractata corrigi ſolet, ut Medicos non nimis officioſos eſſe oporteat in medicamentis exhibendis

pro

pro inappetentia tollenda. Generaliter autem qui ſimili affectione laborant, aëre frigido exercitationibus ſub divo inſtitutis ſuſcepto, corporis ablutione, & frequenti induſiorum mutatione juvari ſolent, praeſertim ſi quies animi & moderatus ſomnus accedant. Cibi refrigerantes ex aceto, ut lactuca, cichoreum, portulaca, borrago: fructus horaei, ut fragae, mora, & pira: potus ex poſca, aut aqua frigida: vinum abundè dilutum, mirum, quantum appetitum ferè extinctum revocent. Purgantia medicamenta rarò hic proſunt; ſed amara temperata, ut cichoreum, taraxacum, abſinthium, agrimonia, itemque aperientia vegetabilia (ſaponacea nunc vocant), ut bugloſum, intubus, gramen, viperina, pimpinela in decocto, aut alia convenienti forma, praeſcripta multùm valent. In immodico autem appetitu ea praeſcribenda ſunt quae morſum ventriculi & humoris nativi acrimoniam obtundunt. Alimenta pinguia, oleoſa, ut jura carnis vervecinae & ſuillae, pultes cum melle, mulſo, aut butyro, aut adipe: in ſumma quaecumque appetentiam avertunt & ſacietatem inducunt, ea hic tamquam conferentia à Medicis adducuntur. Hinc aegris exhibent cibos ſtabiles & non facilè corruptibiles, coctu enim difficilia facilius ferunt, quandoquidem humor ipſis acris mordaxque eſt. Sed fateri oportet, haec omnia, etſi à probatiſsimis auctoribus praeſcribantur, ſaepe malum non extinxiſſe, quin potius vires, eundo, acquirendo aegrotantes letho commiſiſſe. Ergo Medicus in his affectionibus curandis animum intendere debet in morbos horum ſymptomatum generatores, atque attentè inſpicere expedit, num in appetentiae vitiis lateat acrimonia ſcorbutica, aut atrae bilis, vel verminoſa, ſeu alio quovis modo corpori inimica, iis namque corrigendis dedita opera incumbendum.

APHORISMI.

I.

Ut plurimum omnes qui malè habent, circa principia quidem benè comedentes & nihil proficientes, ad finem rurſus cibum

non appetunt. Qui verò circa initia quidem cibum omnino non appetunt, poſtea autem benè appetunt, melius liberantur (a).

Seu in morborum initiis, ſeu in convaleſcentibus à morbis obſerventur quae ab Hippocrate hic traduntur, vera quivis eſſe deprehendet. Ex hac ſententia diſcimus, appetentiam ciborum non perpetuò bonum eſſe ſignum, ut Baglivius contendit aſſerens *in omnibus morbis, ſi viget appetitus, bonum eſſe*, quamquam auctor hic, pro more ſuo, mutata ſententia illicò ſtatuat, appetitum ingentem repentè excitatum in acutis, & aliquando in chronicis poſt magnam inappetentiam, nulla paecedente bona criſi, aut alio bono ſigno, mortem poſtridie venturam indicare (b). Melius ratiocinatur Alpinus: „ Cognoſcenda enim, inquit, optima „ appetentia, cum ſaepius in ipſa judicanda plures decipian„ tur, vitiatam ac exitialem bonam putantes. Bona autem „ eſt quae naturalis eſt, quaeque fit à cauſa naturali, quip„ pe à penuriae ſenſu: quandoque aegroti videntur benè „ appetere, ipſorumque creditur appetentia optima, prop„ terea quod cibum avidè appetant & aſſumant, quae ta„ men in multis moribundis ſaepius obſervatur... Hinc „ plures priuſquam moriantur, cibum avidè poſtulant ac „ aſſumunt (c). In febribus longis erraticis, & hydropicis famem circa mortem excitatam me obſervaſſe memini.

II.

In omni morbo mente valere, & bene ſe habere ad ea, quae offeruntur, bonum eſt: contrarium verò malum (d).

Ægrum ad ſumenda alimenta, & alia quae offeruntur, paratum eſſe, in omni morbo bonum eſt, ſed non illicò fauſto omine procedunt omnia, cùm in cibis accipiendis mira ſoleat eſſe varietas. Igitur omni ope incumbendum, quo

(a) Hipp. *lib. 2. Aphor. ſent. 32.*
(b) Bagliv. *Praxeos Med. lib. 1. cap. 9. de Inappet. §. 1. pag. 46.*
(c) Proſper. Alpin. *de Praeſag. vita & morte aegrotant. lib. 4. cap. 14. pag. 268.*
(d) Hipp. *lib. 2. Aphor. ſent. 33.*

quocumque morbo afficiatur aeger, ut eam conſervemus diſpoſitionem, qua bene ſe habeat ad ea, quae offeruntur, ſuſcipienda, quod fiet ventriculum minimè gravando aut nimiis cibis, aut multis potationibus, vel quod pejus multo eſt, multa atque improvida medicamentorum copia, iis enim languet ventriculus, & ulterius ad ea quae offeruntur malè ſe habet.

III.

In morbo diuturno appetitus proſtratus & meracae dejectiones malum (a).

Appetitus proſtratus in diuturnis morbis, aut malè affectum os ventriculi vitio quidem radicato & forte inemendabili, aut virium exolutionem ſignificat: utrumque autem malum eſſe quivis intelligit. Ergo in morbis diuturnis appetitus proſtratus non eodem modo corrigendus, nam ſi ex ſtomachi labe proveniat, ei occurrendum per medicamenta appropriata parcè admodum praeſcripta. Quod ſi ex virium imbecillitate inappetentia naſcatur, ſolis reſtaurantibus & reficientibus auxiliis amoveri poteſt.

IV.

Paulò deterior potus & cibus, jucundior autem, eligendus potius, quam meliores quidem, ſed ingratiores (b).

Jucundos, etſi non ita bonos, praeferendos eſſe cibos ingratis, ex ipſa natura didicimus, quae rebus jucundis delectatur, & delectatione vividior fit. Sed curandum, ut alimenta ſuavia quidem & guſtu grata non multo pejora ſint injucundis, tunc enim ea aegrotis appetitus & delectationis gratia permittere non Medici, ſed peſsimi adulatoris officium eſt. Optimè Valleſius noſter: „ Gratificandum, inquit, aegrotanti „ quoad fieri poſsit cibis & potibus. .. Et ſuavitati aliquid „ condonare, etſi alioqui videatur non valdè expediens. Cer„ tè his praeceptis non ad dicta, ſed ad lucrum, caveant „ au-

(a) Hipp. *lib. 7. Aphor. ſent. 6.*

(b) Hipp. *lib. 2. Aphor. ſent. 38.*

„ autem hortor nè plus ſatis utantur, & plurimum ſuis „ commodis ſtudentes, eorum, qui ſe illis crediderunt, ſa- „ lutem ſpernant... Nam quod inſigniter poſsit laedere, „ aut quod inferre noxam, quae non facilè emendetur, nulli „ debent concedere (a). Videndus utique Galenus, qui ex mente Hippocratis omnium optimè quomodo aegris gratificandum ſit, non ſolùm in cibo & potu, ſed in multis aliis quae ab ipſis appetuntur, exponit (b).

V.

Quoſcumque cibos, aut abſonia, aut potus aegroti concupiſcunt, exhibeto, ſi non corpori damnum inde acceſurum eſt (c).

Optimum quidem, & ad recuperandam ſanitatem commodiſsimum praeceptum in hac ſententia proponit Hippocrates, ſi modò ad debitam normam reducatur. Igitur attentè inſpiciendum, an ciborum appetitus, dum Medico incongruens videtur, ex ipſa naturae vi, an ex morbo eam irritante proveniat; in primo enim aegro gratificandum, in alio minimè. Quaecumque autem natura appetit pro ſui conſervatione, etſi inſolita & incongruentia videantur, auxilio ei eſſe ſolent; quae autem appetuntur vi morbi in deſtructionem potius quam conſervationem naturam ferunt. Hoc monitum ejuſque intelligendi rationem ſatis in Phiſiologia explicavimus (d).

VI.

Ex cibis ac potibus qui commodiſsimi ſunt corpori, ac maximè ſufficientes & ad alimentum & ad ſanitatem, ex his ipſis etiam, ubi quis ipſis non in tempore utatur, aut pluribus quam tempeſtivum eſt, & morbi, & ex morbis mortes fiunt (e).

Miſera canina fame laborantium conditio, qui copioſiora

(a) Valleſ. *Com. in lib. 6. Epidem. Hipp. ſec. 4. tex. 7. pag. 324.*

(b) Gal. *Com. in lib. 6. Epidem. Hipp. ſec. 4. tex. 8.*

(c) Hipp. *de Affection. ſec. 2. verſ. 147.*

(d) *Vide Phiſiolog. noſtr. tract. 1. prop. 4. num. 18.* Vide etiam Feijoò, *Theat. Crit. tom. 8. diſc. 10. num. 115. ſeq.*

(e) Hipp. *de Affect. ſec. 2. verſ. 200.*

ra quam par eſt alimenta ſumentes tum demum fame pereunt. Igitur copioſum & ex ſe utile alimentum, ob vitium corporis in pravam naturam converſum, & morbos & mortem infert. Ex vero Hippocrates: „ Fames, inquit, „ magnam vim habet in naturam hominis & ſanandi & „ debilitandi & occidendi (a)... Fames enim naturae mo„ dum excedens nocet (b)... Corpora namque ſiccat (c). Hinc famelici dum alimenta vorare coguntur, malum inde recipiunt, tum quod natura vi morbi ad plures aſſumendos cibos excitatur, cùm etiam quia non potens eos ſubigere noxam inferunt.

VII.

Ubi fames laborandum non eſt (d).

Inediam non diu toleratam magnis morbis quandoque eſſe remedium, dilucidè monſtravit Hoffmannus in diſſertatione hac de re edita. Attamen non ubique praeſcribendam inediam experientia rerum magiſtra docemur. Hippocrates, quibus inedia conferat, in aphoriſmis expoſuit: quibus verò damna inferat, longè explicat in libro de veteri medicina, ubi inter alia haec loquitur: „ Mox ubi tempus „ (prandendi) praeterierit, ſtatim impotentia vehemens, tre„ mor, animi deliquium, poſtea oculi pallidi, urina craſſa „ & calida, os amarum, & viſcera pendere ipſis videntur, „ vertigo, iracundia, triſtitia, &c. (e) Sunt qui, non modò plurium dierum ſed menſium, abſtinentiam ciborum omnimodam ſuſtinuere, quorum exempla ex multis auctoribus cumulavit Sennertus (f). Sed multa fabuloſa his de rebus narrari, multa etiam non benè obſervata, aliqua etiam doloſè conficta, tenendum. Extat inter diſputationes pathologicas curis Halleri editas diſcuſio quorundam figmentorum circa longas abſtinentias lectu non injucunda (g). Interea

(a) Hipp. *de Veteri Medicina, verſ.* 124.
(b) Hipp. *lib.* 2. *Aphor. ſent.* 4.
(c) Hipp. *lib.* 7. *Aphor. ſent.* 59.
(d) Hipp. *lib.* 2. *Aphor. ſent.* 16.
(e) Hipp. *de Veteri Medic. verſ.* 157.
(f) Sennert. *Pract. lib.* 3. *part.* 1. *ſec.* 2. *cap.* 2. *pag.* 383.
(g) Haller. *Diſput. Pathol. tom.* 3. *diſ.* 1.

rea certum eſt, laborem omnem tum corporis, cùm praecipuè mentis, fame vigente, fugiendum, primùm quia fames corpora exſiccat & calefacit, deinde quia labor eoſdem effectus producendo hominem ad ſyncopem diſponit. Falluntur qui credunt, famem ab acidis perpetuò excitari, ut in Phyſiologia monſtravimus (a); ſed multo magis falluntur qui famem omnem à frigiditate deducunt, cum atra bilis, humor callidiſsimus, famem indomabilem excitare ſoleat. Videndus utique ex Graecis Trallianus, & ex noſtris Lupejus, Medicus Turiaſonenſis, qui hoc argumentum perſpicuè tractarunt (b).

VIII.

Famem vini potio ſolvit (c).

Vino nimium dediti, dum valetudine fruuntur, parùm famelici eſſe ſolent, imò & ſaepeſaepius cibos averſantur. Sed ubi fames morboſa viget, vini potione extinguitur. Non propterea conſulendum eſt, ut aegri multùm potent, nam praeterquamquod rationi conſonum non eſt, mille trahit mala inſanabilia. Igitur qui jejuni meracum vinum potant, aut aquam ardentem, cum ipſa fame vitam extinguunt. In canina appetentia laudat Tozzius vinum, cui ſalvia, melliſa, abrotanum, aut chamemaelum incocta ſint: deinceps oleum aniſi ad quatuor aut quinque guttas cum ſaccharo exhibitum omnem famem mirabiliter ſedare affirmat (d). Sed ulterioribus obſervationibus veritas aſſertionis firmanda.

IX.

Ac revera hujuſmodi febres, quantum obſervare licuit, fuere magis famelicae quam ſiticuloſae (e).

Quan-

(a) *Vide Phyſiolog. noſtr. tract. 6. prop. 46. num. 179.*

(b) Vide Alex. Tral. *lib. 7. cap. 5.* Lupej. *Adnotat. in opera Gal. pag. 79. & 87.* Vide etiam Sennert. *Pract. lib. 3. part. 1. ſec. 2. cap. 4. quaeſt. 1. pag. 391.*

(c) Hipp. *lib. 2. Aphor. ſent. 21.*

(d) Tozz. *Com. in lib. 2. Aphor. Hipp. ſent. 21. pag. 101.*

(e) Ramazzinus *Conſtit. Epidem. anno 1690. num. 10. pag. 116.*

Quantam vim habeat aër ad famem, ſitim, aliaque omnia mala inducenda, ex antea dictis intelligimus, ſed ex praeſenti ſententia egregiè confirmatur. „Fuit & aliquando „(inquit Foreſtus) morbus epidemicus Saraguſae, quem „& famem appellabant, cum omnes ex eo correpti ſaturari „non poterant (a).

X.

Innotuit igitur non bulimum, ſed beſtiam fuiſſe quae ad cibum ſumendum compelleret, omniaque conſumeret (b).

Loquitur Trallianus de foemina, quae cum multa ſumeret alimenta omniaque concoqueret, numquam ſaturari poterat. Facta igitur evacuatione ex hiera vermem projecit, qui longitudine pluſquam duodecim cubitos ſuperabat. Infinitae propemodum ſunt apud auctores obſervationes de fame ſumma à vermibus inducta (c), iisque rejectis ſanata. In hoc caſu omnia quae adverſus vermes probantur remedia, fami tollendae ex uſu eſſe poſſunt. Ego autem quibuſcumque aliis praeponerem uſum corticis peruviani, quem in febre epidemica fame & vermibus comitata laudat Ramazzinus, atque in lumbricis puerorum enecandis feliciter feciſſe commemorat (d). Igitur decoctum amarum pharmacopeae Bateanae ſine purgantibus (purgantia enim omnia in fame noxia ſunt) cortice kinae ad unciam immixto omnia ſuperare remedia veriſimile eſt.

XI.

Proſtratio appetitus ex laeſione nervorum ſextae conjugationis à cerebro venientis difficulter curatur (e).

(a) Foreſt. *lib.* 21. *obſerv.* 28. *pag.* 351. Vide Sauvag. *claſ. VIII.* §. 8. *num.* 6. *pag.* 328.

(b) Alex. Tral. *lib.* 7. *cap.* 6. *pag.* 262.

(c) Vide Galen. *de Teriaca ad Piſonem, cap.* 15. Foreſt. *loco proxim. cit.* Sauvag. *Gen. & ſpec. morb. claſ.* 8. *num. VIII. pag.* 326. Rodriguez *de Affect. lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 347.

(d) Ramazz. *Conſt. Epidem. anno* 1690. *num.* 11. *pag.* 116. *& ſeq.*

(e) Sennert. *Pract. lib.* 3. *part.* 1. *ſec.* 2. *cap.* 1. *pag.* 382.

Qui ſextae conjugationis nervi à veteribus habebantur, ad octavum par referunt Neoterici (a). Ergo ſeu reſolvantur, ſeu convulſione afficiantur, appetitum ciborum, ſenſum oris ventriculi obtundendo, extinguunt. In deſtillationibus à capite, itemque in nervorum affectibus talis conſpicitur inappetentia fermè immedicabilis, parcè pauciſque remediis tractanda.

XII.

Appetunt (mulieres gravidae) *ſub hoc affectu* (malacia) *acida maximè acerbaque: aliquando verò acria, ſicut nonnumquam vel terram cimoliam, vel teſtas, vel extinctos carbones, taleque aliquod alienum edulium. Porrò ſic afficiuntur earum pleraeque uſque ad ſecundum & tertium menſem* (b).

Mirabilis naturae vis, ſi unquam alias, in appetitu ciborum conſpicitur. Sunt qui benè valentes à certis cibis uſque adeo abhorrent, ut vel odore interdum, nè dicam guſtatu, in enormes vomitus adigantur. Cujus rei exemplum aliquod nemo eſt qui in promptu non habeat, attamen Sennertus plurimas harum averſionum cumulavit obſervationes non injucundas (c). Ex adverſo, vi morbi quandoque fertur appetitus in res vitioſiſsimas, ut in aphoriſmo proponitur, de cujus varietate videndus Sauvages (d). Minimè autem haec confundenda appetitio cum vehementi conatu, quo interdum aegri in fructus horaeos, olera, legumina, & id genus alia feruntur, nam ſolent hi eſſe naturae ſibi convenientia appetentis conamina, ſaepe in bonum tendentia. Adde, fructus horaeos, & olera, etſi à ganeonibus vulgò pro alimentis habeantur inſalubribus, reipſa eſſe ſaluberrima, magnoque errore & Medicos & aegrotantes, imo & ipſos ſanos falli ſummo omnium detrimento. Videndus Vanſwietenius, qui communem hunc errorem validè & verè refutat (e).

(a) *Vide Phyſiolog. noſtr. tract. 2. prop. 6. num. 29.*

(b) Gal. *de Sympt. cauſ. cap. 7.*

(c) Sennert. *Pract. lib. 3. part. 1. ſec. 2. cap. 3. pag. 389.*

(d) Sauvag. *claſ. VIII. §. VII. pag. 315.*

(e) Vanſwiet. *Com. in Aphor. Boerh. §. 614. & 109. pag. 479.*

CA-

CAPUT III.

DE CRUDITATE VENTRICULI.

NEceſsitas humorum & alimentorum in animalibus ad nutritionem & conſervationem ſat longè in Phyſiologia demonſtrata eſt, eumque in finem inſtitutam eſſe à natura ciborum in ventriculo coctionem ibidem ſatis oſtendimus docentes, ingeſta in ventriculo alterari & immutari, ut adquirant rudimenta naturae animalis, cui ſuſtinendae deſtinantur (a). Dum verò morborum vi natura corrumpitur, nec poteſt juxta ſanitatis leges mutare ingeſta, cruditas inde oritur multorum malorum ſeges. Igitur ſublata prorſus cibos coquendi actio *apepſia*: longior quam par eſt mora in coquendo, aut imperfecta ciborum alteratio, ut alimentum ſemicrudum maneat *bradipepſia*: cum cibus corrumpitur & aliam quam pro naturae inſtituto indolem ſuſcipit *diſpepſia* graecè dicitur. Latini uno *cruditatis* vocabulo haec omnia vitia comprehendere ſolent. Eſt ergo cruditas: *Praeternaturalis alimentorum in ventriculo alteratio, qua vel non immutantur prout oportet, aut in diverſam quam pro naturae inſtituto indolem convertuntur.* Cruditas ſymptoma eſt actionis laeſae facultatis concoctricis, modò enim ad abolitam aut diminutam, modò ad depravatam coctionem pertinet. Morbus hujus ſymptomatis generator eſt interdum organi vitium, ſaepe intemperies, rarò ſoluta unitas. Vulnera, ulcera, aphtas coctionem alimentorum invertere, notiſsimum eſt. Tumores, ſcirrhum, phlegmonem, vitiatam conformationem, debitam ventriculi actionem circa alimenta turbare, indubitatum prorſus eſt; fieri enim non poteſt, ut, laeſa conformatione & unitate partium, earum functiones non laedantur. Sed frequentiſsima horum ſymptomatum cauſa eſt intemperies, atque adeo in iis, qui ita laborant, ſedulò inquirat Medicus an organi vitium, ſoluta unitas, aut intemperies haec mala foveat; neque ignorare oportet,

(a) *Vide Phyſiolog. noſtr. tract. 3. prop. 14. & 15.*

non modo intemperiem, quae in qualitatibus consistit, vitiare actionem, sed eam praecipuè id efficere quae in ipsa substantia partium constituitur: nam cum certum omninò sit, ut in Phisiologia vidimus (a), nativum ventriculi humorem, quem *gastricum* vocant, plurimùm ad concoquendos cibos facere, si fortè ejus vis deficiat, languescat, aut à propria natura recedat, necesse est, ejus operationes indebitè exerceri debere. Pars primariò affecta, etsi ventriculus esse debeat, tamen damnum ei communicari potest ex aliis partibus mutuam operam in concoquendis cibis conferentibus. Sic non rarò fit, ut ob vitium hepatis, lienis, diaphragmatis, nervorum, aliarumque partium stomacho vicinarum cruditas oriatur, quod benè notent tirones, ut vitium hoc juxta partis affectae indolem emendare possint. Sanè cruditas omnes suscipit differentias caeteris morbis communes, ipsi tamen proprium est diversis modis laedere, nam alia est superficiaria, ea scilicet quae subitò nulla praecedente noxa advenit ob aëris vim, dietae errores, aut animi pathemata, subvertitur namque his causis interdum stomachus, ac repente in cruditatem incidit nec multùm durabilem nec difficulter solvendam. Alia est cruditas radicata seu in habitum versa, cum scilicet vitiato, aut corrupto humore nativo ventriculi, ingesta tardè concoquuntur, quod *imbecillitatis* nomine à quibusdam indigitatur; aut in pravam indolem commutantur, ita tamen ut malum pertinax sit ferèque perpetuò quibuscumque susceptis cibis molestare soleat. Familiaris est haec cruditas hypochondriacis, melancholicis, scorbuticis, hystericis, cachecticis, iisque demùm qui longis morbis consumpti vires ventriculi concoquentes aut amiserunt, aut prorsus labefactarunt. Dividi etiam solet cruditas, ea scilicèt qua alimenta in alienam indolem convertuntur, in acidam, & nidorosam. Prima est qua ingesta omnia, cujuscumque demum indolis ea fuerint, in acidum convertuntur, propriaque est eorum qui atra bile aut phlogosi partium coctioni dicatarum

(a) *Vide Physiolog. nostr. loco supra cit.*

rum vexantur. Altera eſt qua alimenta in nidoroſam indolem tranſmutantur. Huc referuntur variae ciborum in ventriculo putrilagines, cùm in fumoſam, viroſam, olentem, aquoſam, mucilaginoſam, aliaſque id genus mutationes tranſeunt, quae vario modo corrupti humoris ventriculi ſoboles ſunt.

Ex cauſis occaſionalibus plethora ad cruditatem diſponit, ea praeſertim quae ſanguinis copiam juxta ventriculum, hypocondria, inteſtina, aliaſque partes vicinas cumulat. Ita fit ut gravidae mulieres, & quibus menſtrua ſunt ſuppreſſa, viri itidem quibus fluxus conſuetus ſanguinis per nares, aut haemorroides cohibetur, magnas cruditates patiantur. Obſtructio ad cruditates generandas plurimùm confert, tum quia vias occludendo alimenti diſtributionem impedit, cujus mora in ventriculo ad corruptionem facit, cùm praecipuè quoniam alimenta humorum obſtruentium vitiatam indolem facilè ſuſcipiunt, ut ex vero dixerit Hippocrates: „ Impura corpora quo quis magis nutriverit, eò magis laedet (a). Hinc foeminae chloroſi laborantes, itemque cachectici, hydropici, icterici, febribus intermittentibus, meſentericis, aliiſque hujuſmodi malis correpti in cruditates incidunt moleſtiſsimas. Optime Hippocrates: „ Si quis, inquit, febricitanti cibum det, ſicut ſano robur, aegrotanti morbus „ fit (b). Diatheſis vitiata humorum ventriculi, caeterarumque partium coctioni inſervientium cruditates tenaciſsimas fovere ſolet. Scorbutici, melancholici, atra bile vexati, febribus quibuſcumque ſed praeſertim mali moris correpti ex prava diatheſi cruditatibus fermè continuis moleſtantur. Propterea dum ciborum cruditas nimis viget, diatheſim partium interiorum accuratè contemplari oportet, attenteque inquirere expedit, num humor nativus partium coctioni dicatarum in acidam, alcalinam, putrem, aqueam, aut nidoroſam vergat naturam, omneſque diatheſeos formulas ſedulò inveſtigando, quaenam demum ea ſit quae ſuperet & cruditates foveat, quivis inveniet. Helmoncius primùm, deinde Sylvius de Le-

(a) Hipp. *lib.* 2. *Aphor. ſent.* 10.

(b) Hipp. *lib.* 7. *Aphor. ſent.* 65.

Leboe hypotheſes finxerunt circa cauſas cruditatis ciborum in ventriculo, ſed vanas & ſua ſponte corruentes, ut in Phyſiologia longè monſtravimus, docentes quid ſentiendum de acidi generatione & de reliquis cruditatum ſpeciebus (a). Inter cauſas efficientes aër mirificè cruditates generat, videmus enim ſummas in ventriculo mutationes tum in appetendis, tum in coquendis cibis juxta varias anni tempeſtates temporumque conſtitutiones. Qui per loca nivoſa ambulant, aut locis humidis ſomnum capiunt, itemque frigus inſolitum ſuſcipientes, maximè excalefacto corpore, vel qui in magnis aeſtibus aeſtivo tempore nimium incaleſcunt, appetitui vitiato primùm, deinde ciborum cruditatibus & corruptionibus ſubeſſe, frequenti rerum eventu experimur. Diaeta ex cibis pravi ſucci, aut fortioribus quam pro naturae vi, exercitationibus tum corporis, tum mentis nimium auctis, ex immodica venere, aliiſque erroribus malè gubernata, cruditates ſummè noxias inducere conſuevit. Animi pathemata functiones omnes ſtomachi turbare, ſuperius agentes de appetitu vitiato vidimus, ſed ad cruditates generandas maxime conferre, quotidiana experientia noſcimus, etenim ſanis benè comedentibus atque optimè cibos ſubigentibus, accepto rei triſtis animumque conſternantis nuntio, ſubitò concidit appetitus, langueſcit ſtomachus, atque cruditates paeſsimae inde eveniunt.

Cruditas pueros & ſenes magis quam juvenes, foeminas magis quam viros, debiles potius quam robuſtos, otio viventes quam exercitatos, aeſtate quam hyeme, adoritur. Scire autem expedit, cruditatem ſuperficialem & extemporaneam ex ipſa aegrotantis relatione ſatis cognoſci poſſe, atque bona diaeta, abſtinentia, & prudenti conſilio pauciſsimis remediis duorum aut trium dierum intervallo ſanari; at cum ſecus fiat in cruditate longa & habituali proinde ejus phoenomena recenſere eſt neceſſe. Igitur cum ſtomachi facultas ad coquendos cibos deficit, aut quovis modo depravatur, non ſtatim ceſſat appetitus, ſed modò per-

(a) *Vide Phyſiolog. noſtr. tract. 3. prop. 16. num. 82. pag. 143.*

permanet, modò augetur, interdum per intervalla mutationes ſuſcipit, ſed ſubſtante cruditate alacritas deficit, animique abjectio adeſt, ſalivam effundunt aegri, & nauſea atque vomitibus fatigantur. Dum ventriculus vacuus eſt, dolet: cibo autem ſumpto, inflatio, anxietas, torpor membrorum & impotentia, capitis gravitas, flatus, ructus, rugitus, oris inſuavitas, interdum cum amaritudine ſitis. Creſcente malo triſtitia advenit, carnis incrementum minimè cibis aſſumptis reſpondet, nec floridus corporis color adeſt, ſed pallidus, praeſertim in facie. Omnia tum gravatim ferunt, jactantur, impatientes, iracundi, vertiginoſi, animo inconſtante redduntur. Interea non perpetuò febricitant, ſed calor in volis manuum & plantis pedum, imo & aeſtuationes in facie inter coquendos cibos moleſtant. Eo ipſo tempore ructus adeſſe conſuevere acidi acres cum aſperitate, aut nidoroſi, graveolentes, fumoſi, amarulenti, multiſque aliis formis ingratiſsimi. Malo autem ad ſummum apicem evecto, praeter jam dicta, viſus hebetatur, caput gravatur, aures ſonant, membra torpent, crura & brachia leviter reſolvuntur: palpitatio in praecordiis: dolor in dorſo juxta ſcapulas: pituitae, aquae, aut bilis vomitus: vigilia: ſomni turbati: macies: facilè iraſcentes: nonnumquam melancholici. Affectio haec ſi haereditario fomite à principiis generationis oriatur, aut altas nimium radices egerit, vitiataque vel corrupta ſint viſcera, ferè commoritur, atque per longum tempus durans alios in tabem, alios in hydropem, ileum, choleram, alioſque hujuſmodi morbos, alios denique in febres mali moris ſaepeque lethales adducit. Quod ſi animi alacritas, delectatio, conveniens carnis incrementum, floridus corporis color ſenſim ſuperveniant, neque aeger eſcas odit & abominatur, ſed cibos memoria repetendo vehementer appetat, ſalus tunc ſperanda eſt. Ea tamen eſt hujus mali conditio, ut leviſsimis erroribus facilè redeat.

Cruditas repentè nullo praecedente morbo oborta poſtulat quietem, abſtinentiam cibi & laboris, & tempori atque naturae potius quam medicamentis committenda; qui enim pharmacis purgantibus, ſtomachicis, roborantibus uſi ſunt, tam longè abeſt ut cruditatem ſuſtulerint, quin potius

na-

naturam irritando eam auxerint, aliaque mala produxerint, etenim febres, anxietates, angores, aliaque id genus incommoda ex horum medicamentorum uſu ſupervenire, experti novimus. Hinc tirones conſiderent velim, quae ſpecioſo ſtomachicorum titulo ornantur medicamina nihil minus efficere quam ſtomacho aegrotanti ſuccurrere, calefaciunt enim ſupra modum ea omnia, neque nimius calor ſtomacho favet, imo ipſum magis languidum reddit. Si quid ergo in cruditatibus extemporaneis praeſcribendum, debet id eſſe temperatae virtutis, moderatiſsima adſtrictione praeditum. Syrupus roſarum viridium, miva, ut vocant, cidoniorum, tartari cremor, infuſum herbae the, aliaque ſimilia ex uſu eſſe poſſunt. Clyſteres ad materiam coctam inferius ducendam prodeſſe ſolent. Neque ommittendum, exterius appoſita remedia magno fuiſſe praeſidio. Sic emplaſtum ex maſtiche ori ventriculi appoſitum: unctionem ex oleis abſinthi, cidoniorum, menthae: animalia exenterata & ſtomacho impoſita, ut columbae, catuli, aliaque hujuſmodi interdum profuiſſe, obſervationibus fidis conſtat. Jam verò in cruditate habituali, ante omnia, accurata diligentia inquirenda viſcerum conſtitutio, temperies, ſtatus: num acrimonia lateat atrae bilis, ſcorbutica, eriſipelatoſa, ut per appropriata remedia cuivis damno medela paretur, quam inferius in ſingulis morborum harum partium tractationibus exponemus. Interea in omni cruditate ventriculo proſpiciendum, quod fiet ipſum cibis & potibus non nimium onerando, alimentis etiam ejus viribus proportionatis, exercitatione, ſi fieri poteſt, modica, hauſtibus aquae frigidae inter edendum, ea enim omnia ſtomacho languenti prodeſſe notum eſt. „ Prodeſt (inquit Celſus) adverſus tardam „ concoctionem clarè legere, deinde ambulare, tum vel un„ gi, vel lavari, aſsiduè vinum frigidum bibere, & poſt ci„ bum magnam potionem, ſed ut ſupra dixi per ſyphonem: „ deinde omnes potiones aqua frigida includere (a).... Ubi „ expletus eſt aliquis, facilius concoquit, ſi quidquid aſſump-

„ ſit,

(a) Celſ. *de Medic. lib.* 1. *cap.* 8. *pag.* 38.

„ sit, potione aquae frigidae includit, tum pauliſper invi-
„ gilat, deinde benè dormit. Si quis interdiu ſe implevit,
„ poſt cibum neque frigori, neque aeſtui, neque labori ſe
„ debet committere: neque enim tam facilè haec inani
„ corpore quam repleto nocent (a).

APHORISMI.

I.

Concocta purgare & movere oportet non cruda, neque in principiis niſi turgeant. Plurima verò non turgent (b).

Mirum! quantum haec Hippocratis doctrina Medicorum ingenia torſerit, cùm in ſcholis variis ſenſibus exagitata, in varias ſententias eaſque diverſiſsimas adduxerit artis Profeſſores. Sed cum non tam laboraverint Scholaſtici in veritate per accuratas obſervationes inquirenda, quam in mente Galeni elucidanda, aliorumque veterum qui Hippocratis ſenſum intellexiſſe creduntur, proinde eorum diſputationes, rixas, contentiones omittentes, quod experientiae conſonum eſt unicè ſequimur. Igitur veriſsima eſt Hippocratis ſententia non modò in morbis acutis, ſed in chronicis. De cruditate in morbis acutis & de legibus obſervandis in eorum curatione egimus in Pathologia (c). At de cruditate ventriculi humoribuſque crudis in prima regione, ut ajunt, hic loquutum eſſe Hippocratem, teſtis eſt Galenus, qui ita loquitur: „ Dejectio in talibus (id eſt, ubi crudi humores in
„ primis venis ſint) tormina & roſiones creat, animique
„ deliquia, cum eo quod nec notatu quippiam dignum edu-
„ cit, quando crudi omnes ſucci, pigri atque ad motum
„ inepti propter craſsitudinem, frigiditatemque ſunt. Quo fit,
„ ut etiam omnes anguſtas vias obſtruant, per quas id, quod
„ medicamentum dejicit, ferri ad alvum debeat: itaque nec
„ ipſi educantur, & alii ſint impedimento. Id quod ſanè

„ Hip-

(a) Celſ. *de Medic. lib.* 1. *cap.* 2 *pag.* 24.
(b) Hipp. *lib.* 1. *Aphor. ſent.* 22.
(c) *Vide Patholog. noſtr. tract.* 1. *prop.* 4. *num.* 24. *pag.* 425. *ſeq.*

„ Hippocrates illo oraculo praecavit, quo breviſsimè praeci-
„ pit: *concocta medicamento tentanda eſſe, non cruda* (a). Generalis fuit vetuſtiſsimorum Medicinae Principum, qui artem ſolidis obſervationibus ſtabilitam reliquere, conſenſus, crudos humores non eſſe purgandos, neque cruditates medicamentis purgantibus ſanari, quod benè notent, velim, qui aegros ventriculo debiles nec cibos benè coquentes iteratis purgationibus conficiunt, quibus cruditates adeò non auferunt, ut augeant.

II.

Cùm ſit autem minimè crudo ſanguis mittendus, tamen nè id quidem perpetuum eſt, neque enim ſemper concoctionem res ſpectat (b).

Vidimus, agentes de cardialgia, quid agendum circa venae ſectionem praeſente cruditate ventriculi. Sed Celſus in hac ſententia duo tradit praecepta practica: alterum, crudo, hoc eſt, cruditate laboranti ſanguinem non eſſe extrahendum: alterum, praeſente cruditate quandoque neceſſariam eſſe venae ſectionem. „ Si etiam dolor (inquit Hollerius) con-
„ junctus eſt (loquitur de ventriculo imbecillo nec ritè ci-
„ bos concoquente) in primis phlebotomia ex interna bra-
„ chii convenit. Perſeverante malo ex utraque baſilica, &
„ hoc magis ſi gravis dolor eſt, ſi repentinus, ſi difficilis
„ ructus, ſpiritus, ſi febris eſt, ſi dolor in dorſum & ſca-
„ pulas extenditur, ſanguis detrahendus (c). Quod ſi conſueta ſanguinis evacuatio ſuppreſſa his omnibus accedat, ſanguis cum fructu mitti poteſt. De caetero, non video quomodo in cruditate ſanguis extrahi poſsit ſine magno aegrotantis incommodo. „ Nulli talium, hoc eſt, maxima ſucco-
„ rum crudorum copia laborantium, ſanguis mitti, inquit
„ Galenus, ſine maximo diſpendio ſolet, cum tamen vacua-
„ tionem deſiderent: verùm nec ſanguinis miſionem, nec
„ pur-

(a) Galen. *lib.* 4. *de Sanit. tuenda, cap.* 5.

(b) Celſ. *de Medic. lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 79.

(c) Holler. *de Morb. intern. lib.* 1. *cap.* 32. *pag.* 308.

„ purgationem ſuſtinent, utpotè quos ſine his ſyncope ſu-
„ bitò adoritur (a).

III.

Quaenam igitur eſt ratio talibus, hoc eſt, cruditatibus ventriculi vexatis, *medendi, qui cum vacuari poſtulent, vacuantia praeſidia non ferunt? Sanè nullam aliam his idoneam vacuationem inveni praeter eam, quae ex frictione paratur* (b).

Frictiones partium extremarum, imo & totius ſpinae à vertice capitis uſque ad coxigem, ſaepius iteratas ſummè utiles eſſe in cruditate habituali ventriculi expertus affirmo. „ Certum eſt etiam (inquit Arbuthnotus) prout continua „ me docuit experientia, extremitates doloribus corripi, qui- „ bus infirmi plurimùm ſublevantur ex ingenti ventorum co- „ pia, quae ex ſtomacho ob harum partium frictionem erum- „ pit (c). Frictionum uſum minimè contemnendum in variis morbis, qua latè patet, longè expoſuit Galenus in libris de ſanitate tuenda.

IV.

Ventris torpor omnium confuſio (d).

Vis ventriculi effoeta, aut corrupta, quam Hippocrates torporem appellat, duobus modis turbat univerſum corpus. Primùm, quia ob debilitatem alimentum incoctum ſeu ſemicrudum tum ipſum ventriculum, tum partes ei vicinas crudis impuriſque ſuccis replet, earumque functiones impedit: tum quia ceterae corporis particulae alimento crudo infarctae in cachexiam demùm incidunt, unde fit: „ Ut qui ſtomachum infirmum habent, eos pallor, ma- „ cies, praecordiorum dolor, nauſea, & nolentium vomitus, „ in jejuno dolor capitis perpetuò ferè comitetur (e). Deinde, quia humore nativo ventriculi corrupto aut quavis acri-

(a) Galen. *Meth. medendi, lib.* 12. *cap.*3.
(b) Galen. *Meth. medendi, lib.*12. *cap.*3.
(c) Arbuthn. *Specim. effect. aër. cap.*2. §.XVI. *pag.*72.
(d) Hipp. *lib.*6.*Epidem. ſec.*3.*verſ.*1.
(e) Celſ.*de Medic.lib.*1.*cap.*8.*pag.*38.

monia vitiato, propriam indolem cibis inter coquendum communicat, unde acrimoniae variae ſpecies in univerſo corpore atque etiam in ſanguine generantur. „ Quapropter (in-„ quit Galenus) in venae ſectionibus numquam videbis in hu-„ juſmodi hominibus rubrum ſanguinem profluere, ſed alio „ colore, prout eum appellare quis velit, infectum. Sed illicò „ etiam malè olet, & ſi homo jam pridem evacuatus non „ ſit, ater etiam ſanguis ſecta vena profundetur, habebitque „ aliam alias in craſsitudine ac tenuitate conſiſtentiam, ut „ modò ſeroſus & tenuior, modò craſsior, ut etiam inter-„ dum adeo craſſus ac niger, ut liquidam imitari picem vi-„ deatur (a).

V.

Utilis verò (vomitus) *plenis & bilioſis omnibus, ſi vel nimium ſe replerunt, vel parùm concoxerunt, nam ſive plus eſt quam quod concoqui poſsit, periclitari nè corrumpatur non oportet: ſive jàm corruptum eſt, nihil commodius eſt quam id, qua via primùm expelli poteſt, ejicere. Itaque ubi amari ructus cum dolore & gravitate praecordiorum ſunt, ad hunc protinus confugiendum eſt* (b).

Monuit Hippocrates, morbos ea parte qua proximi ſunt educendos eſſe, &, qua parte ſingulis exitus quam proximus eſt, extrahendos (c). In Illuſtrationibus ad Hippocratis Prognoſtica (d) monſtravimus, in affectionibus oris ventriculi cum pravorum ſuccorum copia nullum praeſtantius eſſe remedium quam vomitorium, ipſaque natura duce, id non ſemel in praxi vidimus. Praeferunt aliqui purgantia in ventriculi cruditatibus ad humores ſuperfluos extrahendos, ſed fideliter obſervavi, plus damni quam utilitatis ex eiſdem comparari. Neque emetica, nec cathartica radicem mali auferunt in habituali & antiqua cruditate, quoniam vitiatum nativum humorem ventriculi, in quo radix morbi conſiſtit, non educunt; ſed etſi producta tantùm morboſa, ſeu ci-

(a) Gal. *com.* 4. *in lib.* 6. *Epidem. Hipp. ſent.* 25.
(b) Celſ. *de Medic. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 29.
(c) Hipp. *de Locis in hom. verſ.* 285.
(d) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Prognoſt. ſec.* 1. *text.* 15. *pag.* 41.

cibos incoctos & gravantes expellere animus tantùm ſit, id citò atque tutiſsimè efficit vomitorium : cum magno diſcrimine catharticum. Hippocrates obſervatione ductus enumerans morbos, in quibus medicamenta cathartica noxia ſunt, ſigillatim ventris cruditatem deſignat (a). Videndus Martianus, qui ſui temporis Medicos ad cathartica exhibenda nimium proclives meritò reprehendit, & Hippocratis doctrinam veris obſervationibus practicis ſuffultam eſſe nervosè contendit (b).

V I.

Qui calido ventriculo ſunt, ii frigidam carnem habent, gracileſque ſunt, iidem venoſi, iracundioreſque ſunt (c).

Cum ventriculus debilis cibos tardè concoquit, aut inter coquendum corrumpit, multum refert diſquirere num calor nimius viſcera occupet, necne: nam etſi malum hoc numquam à vera frigiditate oriatur, ut in Phyſiologia vidimus (d), tamen an major vel minor calor vigeat, probè attendendum. Cruditatem nidoroſam cum calore conjungi norunt omnes, at acidam ſaepe ex eodem vitio naſci, alibi monſtravimus (e). Diſcimus hinc, numquam ventriculi imbecillitatem calidis medicamentis rectè tractari, iis enim in febres hecticas, ileum, hydropem, imo interdum in ſaeviſsimas convulſiones incidere obſervavimus. Neque nimium refrigerantia praeſcribenda, nullum enim exceſſum ventriculus debilis ferre poteſt, quamquam frigida ritè praeſcripta multò magis ventriculo debili accommodata ſint quàm callida. Quod in praeſenti ſententia inquit Hippocrates, id verum eſſe deprehendi, cum ii qui ventriculo ſunt calido, extrema corporis facilè frigeſcentia habeant, & in iram ſint maximè proclives, ut non à vero aberrare credamus eos: „ Qui arbitrantur in ventriculis calidioribus nativum calo-
„ rem in profundum refugere, & extimas partes deſerere,

„ ac

(a) Hipp. *de Victus ratione in acut. ſec. 4. verſ. 396.*

(b) Martian. *com. ad locum prox. cit. Hipp. pag. 413.*

(c) Hipp. *lib. 6. Epidem. ſec. 4. text. 25.*

(d) *Vide Phyſiolog. noſtr. tract. 3. prop. 21. num. 96.*

(e) *Vide Phyſiol. loc. cit.*

„ ac proinde hominum carnes frigidas reddi: at hujuſmo-
„ di caloris motiones pro ratione temporum regionumque
„ fiunt, itemque pro aëris ſtatu, praeterea verò pro vi-
„ giliis ac ſomnis, atque etiam animi perturbationibus, ut
„ moeroribus, timoribus, & corporis, atque animi volup-
„ tatibus variantur (a).

VII.

Qui crudum ſine praecordiorum dolore ructat, is ex intervallo aquam frigidam bibere (debet) (b).

Rarò cruditas habitualis ſine vitiato intus humore moleſtat, qui aut atrae bilis naturam participat, aut ad eam proximè accedit, etenim in ventriculo calido congeſti humores incocti, ſeu bilioſi ſeu pituitoſi, nullo negotio in atram bilem tranſeunt (c). Igitur aquam frigidam ex intervallis bibere talibus prodeſſe, experimentis cognovi. Fateor, non ante prandium eſſe bibendum iis qui ob ventriculi imbecillis calorem ſiti & oris amaritudine, forte etiam cibi faſtidio, vexantur, etenim ſitim tolerare oportet, neque bibere niſi poſt aſſumptum cibum, qui enim aliter ſe gerunt, praeterquamquod eas moleſtias non vitant, ventriculum longe languidiorem reddunt. Optimum eſt Valleſii noſtri conſilium:
„ Si dari debeat aegroto (inquit) ad voluptatem frigida,
„ nè tamen ita detur, ut parere poſsit noxam magnam at-
„ que fortaſſe inemendabilem, ut, hoc delicioſiſsimo tem-
„ pore, quale numquam viderat Hiſpania, ſcimus, multis ni-
„ vis uſu contigiſſe... Faciat Deus ut ab his expediti ad vir-
„ tutem priſtinam, qua aliis omnibus gentibus quondam
„ fuerunt admirationi, convertantur (d).

VIII.

A multo tempore conſueta, etiam ſi fuerint deteriora, inſuetis mi-

(a) Vide Gal. *com. 4. in lib. 6. Epid. Hipp. text. 25.*

(b) Celſ. *de Medic. lib. 1. cap. 2. pag. 22.*

(c) *Vide Phyſiol. noſtr. tract. 3. prop. 21. num. 94.*

(d) Valleſ. *com. in lib. 6. Epidem. Hipp. ſec. 4. tex. 7. pag. 324.*

minus turbare ſolent. Oportet igitur etiam ad inſolita mutare (a).

Etſi hic loquatur Hippocrates de omnium rerum uſu, quas Medici nonnaturales appellant, & ad diaetam propriè ſpectare videntur, praecipue tamen hoc praeceptum ad cibos potuſque pertinere tenendum eſt, multò enim melius concoquntur naturaeque adaptantur ea ciborum genera, quibus homo aſſuetus eſt, quàm inſueta. Ergo quivis in hoc negotio vires ſuas experiatur, verſetque diu, quae alimenta recipere aut ferre recuſet propria natura, id enim omnium praeceptorum maximum eſt, ut quilibet iis utatur cibis, cujuſcumque demum indolis ii fuerint, quos ſuum ſtomachum aptè recipere, beneque concoquere noverit. Eſt etiam pro concoctione juvanda magnum auxilium ad inſueta alimenta interdum, providè tamen, tranſire; juvat enim varietas naturam in cibis, non minus quam rerum diverſitas animum oblectat, atque faſtidium creare ſolet eorundem alimentorum non interrupta continuatio. Fortè id attendens Aretaeus inquit: „ In aliis morbis poſt curatio„ nem diaeta ad robur & vires corporis, bona concoctio „ eſt: ſtomachi affectibus laborantibus ſolis haec vitioſa eſt... „ Multò verò magis proficit aegrotantibus, ſi gratificetur & „ puriter omnia faciat, ac cupiditatibus eorum indulgeat Me„ dicus in rebus, quae non magnopere laedunt (b).

CAPUT IV.

DE PHLEGMONE VENTRICULI.

PHlegmon ventriculi, cum morbus frequens ſit, parùm à Medicis pertractatur, ut bene advertit Hoffmannus in diſſertatione, hac de re, edita; quamquam fateri oportet, Rodriguezium noſtrum de hac affectione ſatis accuratè tractaſ-

(a) Hipp. *lib. 2. Aphor. ſent. 50.*
(b) Arae. *de Curat. morb. diutur. lib. 2. cap. 6. pag. 131.*

taſſe. Igitur phlegmon ventriculi eſt: *Inflammatio tunicarum ventriculi celeris & acuta, febre graviſsimiſque ſymptomatibus ſtipata.* Morbus eſt, ſub triplici genere intemperiei, organi vitiati, & unitatis ſolutae, comprehenſus, ut omnium fermè inflammationum indoles eſt, ita tamen ut perpetuò intemperies, non ea modò quae in qualitatibus, ſed quae in ipſa partium ſubſtantia corrupta conſiſtit, vitiata ſit: organi autem & unitatis laeſio interdum tantùm cum inflammatione conjungatur. Ergo ſi inflammatio fuerit merè phlogiſtica, intemperies tantùm vitiari ſolet; quod ſi tumor ſimul adſit, & organum & unitas neceſſariò laeduntur, ut in Pathologia monſtravimus (a). Pars affecta eſt ventriculus, ſed in ejus examine curandum, nè error incidat, fieri enim ſolet, ut abdomen, qua parte ventriculo reſpondet, phlegmone correptum ſtomachi inflammationem mentiatur, ut ex vero notat Fernelius (b), ſed ex hiſtoria morbi inferius tradenda harum affectionum diſcrimen innoteſcet. Inter differentias hujus morbi notabiles ea eſt quae deſumitur à vehementia affectionis, nam cum haec fuerit gravis atque vehemens febrem eam procreat quam Graeci *lypiriam* vocant, cujus vi interna uruntur, externa algent, & aegri ſiti confecti pereunt (c). Hujus febris abſentia, itemque ſymptomata mitiora morbum non ita gravem comitantur, quamquam nulla ſit inflammatio ventriculi levis & periculo vacans. Alia eſt hujus morbi differentia quae deſumitur ex inflammationis indole, modò enim eriſipelatoſa, modò phlegmonoſa, non rarò merè phlogiſtica eſſe conſuevit.

Si unquam alias, hic in conſpectum veniunt omnium morborum occaſionales cauſae plethora, obſtructio, & diatheſis, nimia enim ſanguinis repletio in ventriculo, hepate, liene, diaphragmate inflammationem facillimè creat in his, qui haemorroidas patiuntur, aut quovis modo nimiam ſanguinis copiam in his partibus haerentem colligunt. Obſtructio anſam in-

(a) *Vide Pathol.noſtr. tract.* 1.*prop.*2. *num.*10.

(b) Vide Fernel. *de Part.morb.lib.*6. *cap.*2.*pag.*277.

(c) Vide Hipp. *lib.*2. *Aphor. ſent.*48. *& lib.*7. *ſent.*72. Vide etiam Celſ. *de Medic. lib.*2. *cap.*4. *pag.*51. *& cap.* 6 *pag.*55.

inflammationi praebet, quatenus ſanguis detentus in viſceribus nec exitum facilem inveniens nullo negotio putreſcit, & calorem phlogiſticum concipit. Sed diatheſis, quemadmodum omnium inflammationum comes eſt indivulſa, ſic ſpeciali modo in ſingulis laedit, ut verum omnino ſit, nullam eſſe inflammationem quae determinata diatheſi non ſit comitata, uſque adeo ut plethora & obſtructio ex ſe ipſis ſine diatheſi nullam fortè inflammationem in humano corpore efficiant (a). Ex hac diatheſi fit, ut in ventriculi inflammationes facilè incidant ii, quibus nativus ſtomachi humor acris eſt, atra bile, labe ſcorbutica, bilioſa, in putredinem vergente, aut in nimiam *alkalinam* indolem prona, infectus. In eundem morbum incidunt etiam ii, quibus hepar, lien, inteſtina, aliaeque partes vicinae longa phlogoſi affectae tùm demùm eam ventriculo communicant. Nec ſolùm ex partium vicinarum affectionibus, ſed ex cerebri, imò & totius corporis vitio ventriculum quandoque inflammari, undique ad ipſum confluentibus humoribus, ſeu ex diſgregationibus, ſeu ex mala criſi, extra naturae ordinem commotis, fidis obſervationibus conſtat. Inter cauſas efficientes aër plurimum facit ad ventriculi inflammationem inducendam tum manifeſtis qualitatibus, cùm praecipuè occulta vi internum hujus partis humorem corrumpens. Æſtate potius quam hyeme hunc morbum fieri, expertum eſt. Certis autem temporum conſtitutionibus ventriculum offendi nulloque negotio inflammari, palam eſt omnibus, qui in conſtitutionibus epidemicis obſervandis operam collocant. Sed diaeta huic morbo producendo potius quàm aliis maximè conducit, etenim cibi & potus nimium calidi, acres, veneno ſimiles, imo & ipſa venena, cùm proximè ventriculum attingant, facilè ipſum inflammare poſſunt. Nimius etiam atque improvidus potuum frigidorum uſus ſeu conſtringendo, ſeu condenſando & obſtruendo, ſeu ſanguinem in ea parte violenter detinendo, more rerum omnium frigidarum, ex accidenti, ut ajunt, inflammationem ventriculi

(a) *Vide Ptaholog. noſtr. tract. 2. prop. 8. num. 36.*

ſaepe induxiſſe, notum eſt. Sed animi pathemata, iram praeſertim ſubitumque terrorem, hoc malum producere, ſaepe obſervatum: neque ignotum eſſe debet iis, qui, animi pathemata praecipuas vires in partibus ſtomacho vicinis exerere, norunt.

Quamquam inflammatio ventriculi quamcumque aetatem, ſexum, anni tempus conſequitur, potius tamen aeſtate & autumno quàm vere & hyeme, ſenes & pueros minus quam juvenes, viros magis quam foeminas invadere ſolet. Sub initiis rigor, febris acuta tepore quodam extetrius fallens; pulſus parvi, celeres, denſi: lingua albeſcens, aut cum virore pallida: dolor in regione ſtomachi interdum tactu, ſaepe ex aegrotantis ſenſu & relatione perceptibilis. Interea ſitis adeſt, jactatio, capitis nutatio, ſomnus parvus & in ſuſcitatione facilis, hallucinatio, hebetudo: ventris inflatio, vomitus. Creſcente morbo extrema cum torpore frigent: pulſus parvi, inanes, obſcuri, deficientes: oculorum hebetudo: vigiliae: animi abjectio, ut Celius Aurelianus ait, cum deſponſione (a): ſudor: nonnumquam faucium inflammatio. Remittunt ad tempus haec mala, mox verò cum impetu repetunt, ſuumque reſumunt impetum. Morbo ad ſummum ſtatum evecto, ſupradicta omnia cum vehementia conſiſtunt. Deinde ſudor craſſus, glutinoſus, malè olens per totum corpus, ſed praeſertim circa caput & frontem: extrema frigida cum interno aeſtu: rara loquutio ac tremula: reſpiratio parva cum anhelitu: facies pallida: oculi concavi: lingua arida, nigra, ſitis inexhauſta: virium imbecillitas: pulſus languidi. Quibuſdam ſenſibus integris: plurimis verò cum deliramentis mors, quae multò certius ſupervenit, ſi aeger involuntariè illachrymat: ſi cibi aut potus ſonitum in ventriculo excitent: ſi alimenta omnia prorſus recuſet, aut in accipiendis cibis vel potibus cochlearia, vel poculorum labra mordeat: ſi venter liquidis nimium fluat excrementis. Affectio haec acutiſsima eſt, & ſeptem diebus, ut plurimum, curſum ſuum abſolvit, ſaepiſsimè in mortem, rarò in ſalutem tendit.

(a) Cel. Aurel. *Acut. morb. lib. 2. cap. 32. pag. 148.*

dit. Quandoque tamen, etsi non admodum frequenter, aegros ex hoc morbo evasisse constat, quod cùm fit, pulsus resurgit, corporis frigus frangitur, difficultas respirationis minuitur, animus quadam securitate erigitur, somnus altior veluti post laborem dormientium, virium post sumptionem cibi reparatio, quae omnia simul concurrentia salutem promittunt.

Inflammatio ventriculi diversam postulat à caeteris inflammationibus curationem, neque enim multas, nec copiosas tolerat sanguinis evacuationes. Certè si haemorroides, aut quaevis alia sanguinis evacuatio suppressa, ira, aut partium vicinarum repletio fomitem morbo dederint, sanguis ex brachio tutò extrahi potest, quin tamen multus educatur, quoniam ventriculus venae sectionibus saepe laeditur. Nusquam severiori judicio observanda sunt quae de cibandis aegris acuto morbo laborantibus tradit Hippocrates libro primo Aphorismorum, quia victum tenuissimum vix ferre stomachus inflammatus potest. Ergo ex intervallis juxta virium statum dare oportet jusculum ex carne vitulina cum pullo gallinaceo, additis borragine, buglosso, intibo, &c. Potus etiam nimius ventriculum gravando noxius est, qui tamen sub pauca quantitate nec calidus nec frigidus exhibendus, quaelibet enim notabilis alteratio inflammato ventriculo adversa est. Nitrum, quod aliis inflammationibus praesidio esse solet, hic nullius usus est, quippe injucundum, & vellicatione importunum esse deprehenditur. Diluentia, temperantia, absorbentia, modicè praescripta, utilia esse consuevere. Aqua lactis destillata, florum papaveris rubri, graminis, vel horum vegetabilium decocta, additis cornu cervi, aut eboris rasuris, & id genus alia, cum fructu usurpantur. Fugienda omninò sunt vomitoria, purgantia, & quaevis alia medicamina naturam nimium commoventia. Exterius apponere juvat remedia temperantia & resolventia. „ Ego quidem (inquit Hoffmanus) magno cum fructu „ multoties tepidè tantùm applicare jussi vesicam lacte, cum „ floribus emollientibus, & croco decocto plenam (a). Li-

(a) Hoffm. *de Febrib. sec. 2. cap. 3. §. 4. pag. 121.*

nimenta ex oleo amigdalarum dulcium, aceto rosaceo, pauxillo camphorae adjecto, optima sunt; sed omentum vervecinum recens extractum, calidè admotum, eximii est in hoc morbo usus.

APHORISMI.

I.

Quibus inflammatum est septum transversum, hi convulsionibus sunt opportuni: quibus pulmo, suffocationibus: quibus os ventriculi, syncopae: quibus jecur, atrophiae: quibus ventriculus, cruditati: quibus renes, urinae suppressioni (a).

Quibus stomachus inflammatur, si debiles sunt corde, in syncopam facillimè incidunt: si autem capite imbecilli fuerint, convulsionibus, aliisque cerebri morbis tentantur, ut alias satis monstravimus (b).

II.

Una salus tum pleuriticis, tum peripneumonicis, adde etiam synanchicis, id est qui angina laborant, est ipsum virium robur. Non secus verò & quibus vel jecur, vel ventriculum phlegmon obsidet, nam quod ad phlegmonem, quae in his est partibus, spectat, minimè planè est cibandum; quod ad virium infirmitatem, utique saepe: ita necessariò aut vires resolventur, aut phlegmon augebitur (c).

In hoc morbo ea adest malorum implicatio, quae Medicum ab agendo deterret, vix enim quidquam ex una parte juvat quod ex alia non noceat. Igitur cum inflammatio evacuationem atque inanitionem postulet, ut fermè inediam praescribere necessarium sit, vires autem in hac affectione perpetuò debiles sui reparationem per alimenta expostulent, ita se Medicum gerere oportet, ut urgentiori, scilicet viribus sustinendis occurrat, phlegmone interim, quantum fieri possit, non neglecto.

(a) Gal. *de Pulsibus ad tiron. cap.* 11. | *syncop.*
(b) *Vide quae diximus de Epileps. &* | (c) Gal. *Meth. meden. lib.* 10. *cap.* 5.

III.

III.

Ira gravis ſaepe funeſtae inflammationis mater, quando mox poſt eam cibus, praeſertim minus ſalubris & difficilioris digeſtionis ingeritur, aut frigidus potus ingurgitatur (a).

Certè inter prandendum animi quaevis commotio mala eſſe conſuevit, ſed praeſertim ira, quae ſpiritus nimium exagitat; atque, ut jam vidimus, animi pathemata omnia maxime in ventriculo tragoediam exerunt. Potus nimium frigidus poſt iram inflammationem in ventriculo creare poteſt, ſed multò citius ac vehementius id efficit vinum, quod poſt iram inſtar veneni eſt. Plures hic adducit Hoffmanus obſervationes de his qui ex vini potu in ventriculi inflammationes inciderunt (b). Qui ergo ventriculi affectionibus obnoxii ſunt, caveant omni cura nimium vini uſum, facilè enim iis inflammatur ventriculus, atque celeriter ex eo morbo intereunt.

IV.

Medici morbum (inflammationem ventriculi) *colicam eſſe autumantes carminativa cum anodinis dederunt. Perſeverarunt autem anxietates praecordiorum cum maxima inquietudine per totum morbi decurſum, intervenerunt ſubinde convulſivi quidam motus cum manuum tremore, &c.* (c).

Quae à Medicis carminativa & digeſtiva vocantur, improvidè, ut ſaepe fit, aſſumpta, peſsima mala excitare apta nataque ſunt, ſtomachum namque irritant & calefaciendo inflammant. „ Facilè patet (inquit Vanſwietenius) „ quanta malorum exacerbatio debeat fieri dum ſtomachi- „ cis vulgò dictis remediis (quae ſolent ferè laudari ſpiri- „ tuoſa, amara, aromatica acria, & in frigidis ventriculi „ morbis pulchrum uſum habent) imperiti hunc morbum „ aggrediuntur. Longè adhuc pejus cum miſeris aegris agi- „ tur, ſi Medici fallaci illa & periculoſa regula utantur: *vomi-*

(a) Hoffm. *de Febrib. ſec. 2. cap. 3. pag. 122.*

(b) Hoffm. *loco prox. citat. & diſſert. de inflam. ventric. &c. tom. 6. pag. 227.*

(c) Hoffm. *de Febrib. ſec. 2. cap. 3. obſerv. 5. pag. 124.*

mitus vomitu curatur, &c. (a). Nec ſolùm inflammato ventriculo, ſed in ejus dolore, anxietate, cruditate habituali noxia ſunt quae vulgò ſtomachica, digeſtiva, carminantia vocantur. Neque magni uſus eſſe ſaponem venetum in his affectionibus, vel ipſi medicaminis laudatores experti agnovere.

V.

A minimo acri irritatur inflammatus ventriculus, & augentur omnia mala: ideo haec remedia (potus diluentes addito nitro, melle, rob ſambuci &c.) *licèt meritò laudentur optima in curatione inflammationis, vix audemus dare, vel tantùm adeo diluta, ut oculus non laederetur ab iis inſtillatis* (b).

Ventriculus inflammatus pauciſsima medicamina ſuſtinet, eaque molliſsima, & exigua doſi ex intervallis propinata. Nec ſolùm in acuta inflammatione id tenendum, ſed in quovis alio caſu, ubi aeſtus, irritatio, & excandeſcentia quovis modo vigent. „ Salia neutra eaque amarican-
„ tia... ad deducendos efficaciter & ſine moleſtia per alvum
„ vitioſos humores egregia, tali in caſu, ubi primae viae
„ ſpaſticis ſtricturis tenentur, neutiquam ſunt proficua, ut
„ potius noxam poſsint inferre & graviſsimam & praeſen-
„ tiſsimam (c).

V I.

Atque videtur quidem in ipſo (ventriculo) *inflammatio eſſe: ſanguis autem in parte inflammata contentus & craſsior & magis melancholicus, &c.* (d).

Duplex inflammationis genus quamvis corporis partem, ſed praecipuè ventriculum infeſtare ſolet, acuta ſcilicèt, qualem hactenus deſcripſimus, & lenta atque longa, de qua hic loquitur Galenus. Morbus, quem ex Medicis plures *hypocondriacum* vocant, reipſa nihil aliud eſt, quam phlogoſis ſeu

(a) Vanſwiet. *Com. in Aphor. Boerh.* §. 954. *pag.* 148.
(b) Vanſwiet. *Com. in Aphor. Boerh.* §. 954. *pag.* 148.
(c) Hoffm. *de Febrib. ſec.* 2. *cap.* 3. *obſerv.* 6. *pag.* 125.
(d) Galen. *de Locis affect. lib.* 3. *cap.* 7.

ſeu inflammatio lenta ventriculi à principiis generationis, aut à cauſis aliundè advenientibus concepta. Scio, Neotericos ſcriptores multa eaque nova tradere de affectione hypocondriaca, ſed ex hypotheſi potius quam veris obſervationibus eorum dogmata derivari, cuique ea accuratè perpendenti notum eſt. Veteres Medici pauca ſigillatim de hoc morbo tradidere, fortè quia ipſum non tamquam ab aliis diverſum contemplati ſunt. Ac reipſa, ſi ſymptomatum ab hac affectione naſcentium congeriem ſpectemus, nihil aliud profectò quàm functionum ventriculi primùm, deinde, per vicinitatem, inteſtinorum, caeterarumque proximarum partium laeſionem ex lenta inflammatione ortam, comperiemus. Sed quoniam vetuſtiſsimus Medicus juxtaque experientiſsimus Diocles, Hippocrati fermè coaevus, hoc malum accuratiſsimè deſcripſit, placet hic in tironum gratiam ejus verba adducere: „ Porrò alius oritur à ventriculo morbus, „ qui ſupra propoſitis non diſimilis eſt, nominaturque ab „ aliis melancholicus, ab aliis flatuoſus: quem ſumpto cibo, „ maximè coctu difficili & cauſtico, ſputum humidum, „ idemque multùm comitatur: item ructus acidus, flatus, „ aeſtus in hypocondriis, fluctuatio non illicò, ſed quum „ retinuerint, interdum ventriculi quoque vehementes dolo- „ res, qui nonnullis ad dorſum uſque procedunt: concoctis „ deinde cibis quieſcunt, mox aliis ingeſtis eadem rurſus re- „ vertuntur accidentia, quae interdum jejunos, interdum etiam „ à coena moleſtant, atque evomunt crudos cibos, & phleg- „ mata ſubamara, & calida, & acida: adeo ut dentes torpedi „ ne afficiantur. Atque horum plurima ab ineunte ſtatim aetate „ eveniunt. Utcumque tamen acciderint, omnibus in tem- „ pus producuntur. Caeterùm flatuoſas vocatas ſuſpicandum „ eſt, plus caloris quam decet habere in his venis, quae „ alimentum à ventriculo excipiunt, ſanguinemque in ipſis „ craſsiorem factum. Quippe conſtat, has venas eſſe obſ- „ tructas vel hoc argumento, quod alimentum corpori non „ diſtribuitur, ſed in ventriculo manet incoctum quum ip- „ ſum meatus prius ſuſciperent, magnamque ipſius partem „ in imum ventrem excernant, tum quod poſtero die vo- „ mitu rejiciatur, utpote non digeſtis per corpus cibis. Sed

„ quod

„ quod calor id, quod ſecundum naturam eſt, excedat, „ facillimè intelliges tum ab aeſtu, qui ipſis accidit, tum „ ab his, quae ingeruntur: ſiquidem juvari videntur à re- „ frigerantibus cibis, qui videlicèt calorem refrigerare ex- „ tinguereque ſolent. Ajunt autem nonnulli, os ventriculi, „ quod inteſtinis continuatur, in hujuſmodi paſsionibus in- „ flammari, ac ob inflammationem ipſam & obſtrui & prohi- „ bere, nè alimenta ſtatuto tempore ad inteſtinum deſcendant. „ Quamobrem diutiùs quàm decet in ventriculo manentia & „ tumores, & aeſtus, atque reliqua, quae praedicta ſunt, effi- „ ciunt (a). Ego autem attenta obſervatione, quae hic à Diocle traduntur, vera eſſe deprehendi, indeque agnovi, in malo hypocondriaco penitus fugienda eſſe purgantia quantumvis levia, itemque ſtomachica, & digeſtiva, atque medicamina quaecumque nimium calorem excitantia, haec enim omnia non modò morbum non tollunt, ut etiam augeant. „ Contra „ faciunt (ex vero inquit Ballonius) quidam Medici purga- „ tores, qui non ceſſant purgare donec totum corpus ex- „ hauriatur & macreſcat. At iſte humor non tam eſt irri- „ tandus quàm fovendus, alendus, mànſuefaciendus. Et „ malo fundamento utuntur tales Medici, cùm melancho- „ lici morbi non tam conſiſtant in humore, quàm in par- „ tium ſolidarum (in quibus natura conſiſtit) vitio & dia- „ theſi (b). Igitur infrigidantia, humectantia, lenientia in hoc malo utilia ſunt, non quòd improvidè refrigerandum ſit, omne enim nimium naturae eſt inimicum (c), ſed quod inflammatio ventriculum occupans frigidis lenitur, calidis exaſperatur.

VII.

Interim monendi ſunt mihi amici, qui me curantem viderunt, frequentibus balneis, victuque humido boni ſucci, nullo alio adhibito praeſidio, hujuſmodi me morbum curaſſe, &c. (d).

Magni uſus eſſe in inflammatione ventriculi lenta, ſeu ma-

(a) Diocles *apud Gal. de Locis affect. lib. 3. cap. 7.*

(b) Ballon. *Conſil. Medic. lib. 3. conſ. 4. tom. 3. pag. 256.*

(c) Hipp. *lib. 2. Aphor. ſent. 51.*

(d) Gal. *de Locis affect. lib. 3. cap. 7.*

malo hypocondriaco balneationes, frictiones partium extremarum, & corporis exercitationes, omninò certum eſt; at pauca eſſe adhibenda remedia eaque leniſsima & humidiſsima uſque adeo verum eſt, ut nullo alio modo aegri juvari poſsint. Veriſsimè Hoffmanus inquit: „ Ægri varietate „ Medicorum pariter ac medicaminum delectantur, ut opus „ haud rarò ſit eos commonere de Montani effato quo di„ cit: *Fuge Medicos & medicamenta, facilèque convaleſces.* Dein„ ceps Medicorum quoque pauci ſunt, qui hujus delicatio„ ris morbi genium probè compertum habeant, & ideo „ quidquid continent pharmacopolia congerunt, ac aegro „ propinant damno vix reparabili. Profectò ex fonte phar„ maceutico pauciſsima ſunt quae levamen noſtro morbo „ afferunt: & fortiora, generoſa, atque quae dicunt he„ roica, planè veneni inſtar ſe gerunt (a). Interea venae ſectionem parcè, atque ex longis intervallis repetitam prodeſſe novimus. Sed eam ex brachiis inſtitui non debere, ut vult Hoffmanus, tamquam rem ulterioribus obſervationibus examinandam relinquimus. Videndus hac de re Ballonius practicus praeſtantiſsimus nocturna diurnaque manu verſandus (b).

VIII.

In medio autem umbilici & oſsis pectoris circa hanc regionem appoſita manu talis erat palpitatio, qualis neque à curſu, neque à pavore circa cor generari poſſet (c).

Phlogoſi lenta ſeu affectione hypocondriaca ventriculi laborantibus ſolemne eſt pulſatus arteriarum intra os ventriculi & umbilicum percipere. Imperiti Chirurgi aneuriſma ibi fingunt; at Valleſius rectè monet ex bile uſta, addimus nos, & atra, naſci per diſpoſitionem cancro ſimilem (d), perrarum enim eſt in his qui ita laborant ſeu ſub morbi initiis, aut eo jam inveterato atram bilem non cumulari.

(a) Hoffm. *de Morb. ſpaſ. ſec.* 1. *cap.* 6. *pag.* 72.

(b) Ballon. *Conſ. Medic. lib.* 3. *conſ.* 4. *tom.* 3. *pag.* 239.

(c) Hipp. *lib.* 7. *Epidem. tex.* 4. *edit. Valleſ.*

(d) Valleſ. *Com. in locum cit. Hipp. pag.* 380.

Cùm verò jam praesens est, his signis sese prodit: neque hypocondrium tumet, neque perpetuò distenditur opprimiturve, nec unquam, nisi fortè obscurè, dolet, verùm praecordia aestuant, praecipuè vino aut calidioribus epulis assumptis. Interdum dolet etiam dorsum, quod lecti calore, supino decubitu, aut post magnas exercitationes fieri solet. Interea cibi non facilè concoquuntur, fitque plurimus tum ructus, tum flatus, atque salivatio vehemens & copiosa haec omnia comitari per intervalla consuevit. Arteriae in praecordiis supraque umbilicum vehementer moventur, pulsatusque edunt & ipso aegro & Medico percipiendos, quod praecipuè accidit, dum homo quavis de causa scandescit. Haec omnia subinde excipit animi dejectio cum facili pulsus mutatione, anxietate, & cardialgia. Quod si his aliena mens, vana tristitia, ac metu agitata accedat, melancholiae & maniae aditus paratur. Sed id non omittendum, quod cùm haec affectio longa sit, saepe victus errore revertit.

IX.

Quamvis satis pateat originarium hujus morbi fomitem in humoribus nullatenus stabulari, fatendum est tamen quod res est, spirituum ataxiam illam, cui morbus debetur, humores putridos in corpore coacervandos gignere (a).

Quid sit ataxia, & quantum in malo hypocondriaco vigeat, in Institutionibus monstravimus (b), ubi etiam vidimus, per morbosas partium affectiones humores & excrementa cumulari, quae non ad eorum causas, sed effectus potius & producta, ut ajunt, morbosa reducenda sunt. Sed id quod omnibus morbis commune est, in malo hypocondriaco praesertim elucet, in quo ob cruditates, pravamque stomachi intemperiem, ejusque humoris nativi diathesim plura congeruntur excrementa. Hinc fit, ut qui purgantibus & digerentibus hunc morbum aggrediuntur, ipsum exas-

(a) Sydenham. *Dissert. epist. de Affect. hister. pag.* 144.

(b) *Vide Physiolog. nostr. tract.* 2. *prop.* 11. *num.* 65. *pag.* 101. *& tract.* 4. *prop.* 26. *num.* 115. *pag.* 225.

exaſperent, nam producta quidem morboſa educunt, vim autem ea producendi augent, undè in dies major fit excrementorum proventus, donec aeger, aut macie confectus, aut aliis morbis ſupervenientibus oppreſſus, intereat.

X.

Neque ſine cibo eſſe, neque cibum acceptum tolerare poteſt. Verùm ubi quidem ſine cibo manet, viſcera ſugunt, & os ventriculi dolet, & alias alia vomit, & bilem, & ſalivam, & pituitam, & acria, & poſtquam vomuit, aliquantiſper melius habere ſibi videtur. At ubi cibum accepit, ructus adſunt, & cum rubore exardeſcit, & ſemper multùm ſe cacaturum eſſe putat. Ubi verò ea gratia deſederit, flatus prodit, & dolor caput habet, & totum corpus velut aciculis pungi videtur, alias alia parte, & crura gravia ſunt ac debilia, & conſumitur ac debilis fit... Morbus hic diuturnus eſt, & conſeneſcentes, ſi ita futurum eſt, relinquit. Sin minus commoritur (a).

Affectionem in hac ſententia deſcriptam vocat Hippocrates *morbum ſiccatorium*, ejuſque phoenomena cum phlogoſi ſeu inflammatione ventriculi lenta, aut cum malo hypocondriaco convenire facile patet. Veriſsimè hic ſtatuitur, morbum hunc interdum, etſi non perpetuo, ſeneſcentes deſerere, quod ſi ita non fiat, uſque in mortem comitari, quod obſervationibus practicis congruere quivis expertus intelligit. Monet etiam Hippocrates, cibis frigidis ac alvum ſubducentibus utendum in hac affectione: aeſtate & vere, frigida corpus lavandum: lac aut ſerum aſininum quandoque bibendum: exercitationes & deambulationes peragendas: & quod caput eſt, excrementa, quae ob coctionis defectum generantur, vomitionibus ſpontaneis, alvi ſubductionibus per alimenta laxantia, difflationibus corporis per exercitamenta, eſſe expellenda. Ex his deducimus, quod in praxi ve-

(a) Hipp. *lib. 2. de Morb. ſec. 3. verſ. 251.*

rum esse adnotavimus, in hoc malo perpetuò vigere siccitatem ventriculi partiumque vicinarum cum calore conjunctam, atque adeo diaeta modicè refrigerante plurimumque humectante adversus id continuò esse pugnandum: „ Non „ enim ad diversitatem temperaturae viscerum confugien- „ dum est, quod in ore recentiorum semper habetur: ven- „ triculi frigidam intemperiem, hepatis calidam, cerebri- „ que humidam, quae opinio nostris temporibus adeo vul- „ garis effecta est, ut non modò nullius consultatio à Me- „ dicis habeatur, in qua haec palinodia non decantetur, sed „ etiam nullus homo reperitur, qui praedicta viscera tali- „ ter affecta habere sibi non persuadeat (a).

CAPUT V.

DE RELIQUIS VENTRICULI AFFECTIONIBUS.

CUM ventriculus plurimis laedatur modis atque adeo plurima patiatur symptomata, longum nimis foret sigillatim ea omnia recensere, cùm aliqua etiam sint, quae ex jam dictis facilè intelligi possint. Veteres Medici ventriculo laborantes stomachicos vocabant, qui tamen isti fuerint his verbis explicat Galenus: „ Plerique equidem vulgò „ homines eos qui appetentiam perdiderunt ita vocant, & „ quibus post acceptum cibum ventris os gravatur atque „ opprimitur, & quandam aegrè tolerabilem anxietatem ha- „ bet. Appellant eodem modo etiam illos, quibus nausea „ contingit, & maximè si ad vomitum impellat, & adhuc „ magis si simul cibi corrumpantur quandoque acidi, quan- „ doque nidorosi facti, quandoque etiam aliam vitiatam „ qualitatem adepti. Et prae his omnibus adhuc magis illos „ stomachicos nominant, quibus ructus hujusmodi cum mo- „ lestia quadam & anxietate ac subversione contingunt sae- „ pe, cum nondum cibum acceperunt. Quin etiam si per plu- „ rimum tempus cibi in ore ventris morentur gravantes & „ vix

(a) Martian. *com. in Hipp. lib. 2. de Morb. sec. 3. vers. 248. pag. 185.*

„ vix deſcendentes, hos itidem ſtomachicos appellant. Alios „ item appetitum, caninum appellatum, habentes, ut & plu„ rima edant, & maximè gravati paulo poſt revomant, ſi„ militer vocant. Alios rurſus, qui fortiter exolvuntur, ubi „ diutius inediam pertulerint, & ſi non citius cibum acci„ piant, in ore ventris morſus percipiunt, eodem modo „ ſtomachicos vocant (a). Ergo cum ex his aliquae affectiones explicatae ſint, omnes tamen percurrere minimè neceſſarium judicemus, ſupereſt, ut vomitum, ſingultum, flatulentiam, eructationes proponamus, nam etſi haec omnia ad ſymptomata pertineant, non rarò attentam Medicorum curam atque diligentiam ad ſe vocant. Vomitus eſt: *Praeternaturalis ventriculi, orificii praeſertim ſuperioris, motus, quo nutura quae in eo continentur per os expellere nititur.* Differt nauſea à vomitu, quoniam in hoc reipſa fit contentorum in ventriculo expulſio: in illa conatus tantùm inanes ad expellendum per os excitantur. Vomitus eſt ſymptoma, actio ſcilicèt depravata facultatis naturalis expellentis, ſimilis quidem convulſioni, quae tamen neque convulſio neque motus convulſivus eſt, ſed ea motione partium ſolidarum exercetur, qua iſtae per calidum earum innatum motu proprio ad trahendum ſibi convenientia & expellendum noxia moventur, ut in Phyſiologia monſtravimus (b). Singultus eſt: *Motus praeternaturalis oris ſuperioris ventriculi ſonitu certo atque determinato conjunctus, quo natura quae partes has infeſtant, irrito tamen conatu, ejicere nititur.* Symptoma eſt in actione depravata ejuſdem facultatis expultricis ventriculi, non tamen convulſio, ut perperam multi credunt, etſi convulſionem aemulari videatur. Flatulentia eſt: *Flatuum in ventriculo proventus ex ſpeciali hujus partis vitio natus.* Flatus ſunt vaporoſa ſubſtantia aëri immixta ex humore glutinoſo ad fermentationem & rareſcentiam prono, ſpiritu igneo ſubtiliſsimo ſummèque agitabili repleto elevata. Cum omnes corporis cavitates aut ichore repleantur aut

(a) Gal. *de Compoſ. medicam. ſecundum locos, lib.* 8. *cap.* 2.

(b) *Vide Phyſiolog. noſtr. tract.* 2. *prop.* 13.

aut flatu, ut ex Hippocrate in Physiologia adnotavimus (a), non modò ventriculus, sed intestina & omnia corporis cava flatus continere possunt. Quidquid tamen de ipsis in ventriculo genitis dicimus, de reliquis per corpus dispersis intelligendum monemus. Eructatio est: *Motus ventriculi, praecipuè orificii superioris, quo natura vaporosam noxiamque materiam cum sonitu speciali per os expellere intentat.* Mirandum sanè naturae artificium, quo tam varias tamque stupendas operationes pro rerum noxiarum expulsione exercet. Omnia recensita symptomata in ventriculo, sed maxime in ejus ore superiori tamquam parte affecta subsistunt: omnia etiam motu partium solidarum proprio fiunt, aliquid tamen speciale tum in actione movendi, tum in modo quo natura noxium expellere nititur, in singulis elucet, quo unum ab alio perspicuè separari potest. Arcana sunt haec naturae opera pro sua conservatione operantis, quae observare quidem datur, intelligere non conceditur (b). Verum quidem est, vomitus & eructationes interdum cum utilitate fieri, ipsis enim natura juvatur, quod occasionem dedit dubitandi, an actiones istae praeternaturales semper sint & perpetuò ad symptomata revocandae? Sed considerare expedit, in iis operationibus attendenda esse modum quo natura operatur, & excrementa, quae his motibus è corpore pelluntur. Igitur conveniens naturae esse solet talia excrementa quandoque expellere, qua ratione eructationes & vomitus utiles esse possunt; at cùm natura numquam eos exerceat motus in statu integre valetudinis, sed eos tantùm efficiat irritata & à materia noxa commota, propterea actiones istae perpetuò praeternaturales censendae sunt (c). Fateor tam levem aliquando esse flatulentiam & vomitionem, ut fermè intra latitudinem sanitatis contineri videantur (d). Morbi horum symptomatum generatores esse possunt soluta ven-

(a) *Vide Physiolog. nostr. tract.* 2. *prop.* 11. *num.* 65. *pag.* 100.

(b) *Vide Patholog. nostr. tract.* 3. *prop.* 14. *num.* 67. *pag.* 539.

(c) *Vide Patholog. nostr. tract.* 3. *prop.* 14. *num.* 67. *pag.* 539.

(d) *Vide Physiolog. nostr. tract.* 1. *prop.* 4. *num.* 18. *pag.* 25. *& Patholog. tract.* 1. *prop.* 1. *num.* 3. *pag.* 391.

ventriculi unitas, ut vulnera, contuſiones, aliaque hujuſmodi mala: organica ſtructura vitiata, ut in mala ventriculi conformatione & compoſitione interdum accidiſſe conſtat: & intemperies, quae frequentiſsima eſt harum actionum laeſionis cauſa. Ergo ſi ventriculus, ſed praecipuè ejus os ſuperius, nimio calore, frigiditate, aut aliis hujuſmodi qualitatibus affectum ſit, vel phlogoſi ſeu inflammatione, humorum ſtagnatione, congeſtione, fluxione, flatibus infeſtetur, quae omnia temperiem in quantitate vitiant, haec ſymptomata per morbum intemperiei produci neceſſe eſt. Sed longè maxima eſt hujus partis laeſio quae fit per intemperiem occulta vi corruptam, qua fit, ut febres malignae, peſtilentes, exanthematicae, urentes: affectiones hiſtericae, hypocondriacae, ſcorbuticae: venena intus genita, vel exterius admota: temporum conſtitutiones, & alia id genus incommoda, vomitiones, eructationes, & ſingultus creare ſoleant.

Inter cauſas occaſionales plethora non rarò haec mala accerſit. Teſtes ſunt foeminae utero gerentes, & quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt, itemque viri, quibus conſuetum eſt per nares aut haemorroides ſanguinem fundere, hi enim omnes ad vomitiones, ſingultus, flatuum generationes, & eructationes maximè propenſi ſunt. Obſtructio tum humores ſuperfluos colligendo, tum alimentorum diſtributionem integram impediendo, congeriem noxiorum humorum cumulat, atque haec ſymptomata excitat. Hac cauſa mulieres chloroſi affectae, cachexia, cruditatibus laborantes his accidentibus frequenter vexantur. Sed diatheſis maximam vim habet ad has affectiones inducendas, ſi enim nativus ventriculi humor quavis de cauſa vitietur aut corrumpatur, facilè humores noxios, imò & alimenta boni ſucci per vomitum rejicit. Atque notare oportet pro diverſa corruptionis forma, diverſa etiam induci ſymptomata. Ita fit ut quandoque cibi corrumpantur, in acidam, nidoroſam, aut putridam indolem tranſeuntes: interdum ob ſpecialem ventriculi diatheſim in vaporoſam fermè ſubſtantiam convertantur: perpetuò eas ipſas adquirant corruptionum formas quae diatheſi dominanti congruunt. Quod ſi haec ita con-

tin-

tingant ut ſaepe fit, atque os ventriculi praecipuè afficiatur, vomitiones, eructationes, aut ſingultus inde ſequi neceſſe eſt. Hypocondriaci, ſcorbutici phrenitici: hiſtericis, exanthematicis, colicis affectionibus obnoxii, praedictis ſymptomatibus rarò non moleſtantur. Inter efficientes cauſas aër maximam vim habet ad vomitum, ſingultum, eructationes, aliaque hujuſmodi mala producenda, notum enim eſt, quibuſdam temporum conſtitutionibus ob ſpeciale aëris vitium febres vigere ſingultuoſas, uti Ramazzinus & Morgagnus obſervarunt (a): aliis enormes vomitus, ut in tertianis autumnalibus frequentiſsimum eſt. Diaeta ad haec ſymptomata producenda plurimùm confert, alimenta enim ſeu quantitate, ſeu qualitate, aut utendi modo, ſi ſtomachi vires ſuperent, aut quovis modo ſubvertant, ventriculum ad vomitum, ſingultum, & eructationes provocant. Idem efficiunt potulenta iiſdem vitiis praedita, quibus ſi accedat labor nimius corporis aut mentis, improvida veneris exercitatio, aliaque id genus incommoda, multò certius praedicta mala generant. At animi pathemata tum cruditates inducendo, tum ſpiritus ultra modum agitando tam facilè haec ventriculi mala accerſunt, ut nihil in praxi frequentius obſervandum occurrat.

Jam verò cùm horum ſymptomatum cognitio tam clara ſit, ut vel rudioribus & mulierculis innoteſcat vomitus, ſingultus, & eructatio, ab eorum dignotione & hiſtoria tradenda ſuperſedentes, ad curationem accedimus, nam etſi ſymptomata ſint nullo alio modo melius tollenda quàm per excluſionem morborum ea producentium, tamen non rarò vires ſuas ita increſcendo exerunt, ut rationem morbi habeant, & ad ſe Medici intentionem in curando advocent. Igitur vomitus, qui idemtidem repetendo ſanos homines ex intervallis ingruere ſolet, ſinendus eſt, quando tolerantia virium comitatur, ſaepe enim natura certis periodis ab humo-

(a) Ramazz. *Conſt. Epidem. anno* 1692. *& ſeq.* §. *XXII. pag.* 158. Morg. *de Sedib. & cauſ. morb. &c. epiſt.* 29. *num.* 3. *tom.* 2. *pag.* 13. *& epiſt.* 7. *num.* 16. *tom.* 1. *pag.* 53. Vide Medicos Uratisl. *Hiſt. morb. anno* 1700. *pag.* 196.

moribus noxiis vomendo ſeſe liberat. Pari ratione, ubi humor crudus in ipſo ventriculi ſinu contentus, aut multa & corrupta alimenta gravant naturam & onerant, eaque per vomitum expellere nititur, minimè hic cohibendus, quin potius juvandus eſt, donec materia corrupta penitus ejiciatur. Sit dogma perpetuò in praxi obſervandum, vomitum numquam eſſe continendum, dum talia vomuntur qualia vomi expedit, & aegri facilè tolerant. Uſque adeo igitur à Medico vomitus aut ſinendus, aut juvandus, donec humor noxius, qui naturam contriſtat, ſine magna virium jactura expellatur. Hinc ſi ex univerſo corpore aut quibuſdam ejus partibus in ventriculum confluunt humores, aut in ipſo ventriculo propter intemperiem naſcuntur, tunc vomitus potius juvandus quam retinendus, quod etiam agendum quoties venter humorum copia turgeat, ut in colicis & nefriticis doloribus contingere ſolet. Quod ſi vomitus ad debilitatem perducat aegrum, ut ob ejus impetum nec alimenta contineantur nec vires inſtaurentur, quin potius languere incipiant, cohibendus eſt. Ad hunc finem proſunt clyſteres, fomenta ex pane toſto, vino rubro, cum pulvere cinamomi aut maſtiches, exterius in regione ventriculi applicata. Confert etiam extremas partes confricare, pedes arctè vincire, & manus in aquam frigidam immittere. Interius conveniunt acida roborantibus mixta. Sic ſuccus limonum, agreſtae, acetoſae, cum ſalis abſinthii aliquot granis, aqua frigida diluti, vomitus enormes interdum ſedaſſe viſum eſt. Sed longiſsimè omnia medicamina ſuperat in vomitu ſedando ſpiritus vitrioli ex aqua frigida ad gratam aciditatem, additis guttulis aliquot aquae lacticinoſae cinamomi. Sunt qui aloem, & rhabarbarum ad vomitum curandum commendant. Ego autem ſic exiſtimo. Ubi nulla adeſt viſcerum intemperies calida, atque ex cruditatibus naſcitur vomitus, non quidem nimius neque vires debilitans, ſed lento gradu procedens, tunc tutò & cum fructu ea medicamina ſub forma pulveris aut pillularum praeſcribi poſſunt. Id non ommittendum, vomitum à plethora ortum, ut in gravidis fieri ſolet, venae ſectione ſanari, ita tamen ut ſanguinis miſio parca manu celebretur,

etenim ventriculus malè affectus neque multas, neque magnas tolerat venarum sectiones.

In singultu curando accuratè videndum, num febris adsit, & an ea sit levis, vel maligna? Igitur singultum sine febre vinum aqua frigida mixtum tollit, sin minus hiera simplex Galeni ad scrupulos duos praescripta felici successu saepe propinata est. Si febris fuerit levis, purgandus primùm aeger hiera simplici, aut aloe, deinde malum cortice peruviano fugandum. Si verò febris fuerit maligna, rarò singultus tollitur, quin potius usque ad mortem comitatur. Julapium moschatum Fulleri optatum produxisse effectum in aegro ex febre mali moris singultiente, me observasse memini. Quod si cruditates cum singultu adsint, vomitus imperandus, qui aqua tepida admixto oleo amigdalarum dulcium sine igne extracto, aut oximelle scillitico excitandus est. Iis verò, qui levi de causa singultiunt, vociferationes vehementes prosunt, item deambulatio longa & concitata, equitatio. In omni singultu cucurbitulae cum maxima flamma stomacho & dorso affixae utiles esse consueverunt, atque in singultu fortissimo viresque dissipante theriaca utilis est. Dari etiam potest syrupus de papavere cum aqua lactucae, parùm croci addendo. Quod si praedicta remedia incassum tentata sint, opiata praescribi possunt, inter quae laudanum liquidum Sydenhamii caeteris quibuscumque praeparationibus praeferendum, ea tamen dosi praescribi debet, quae morbi vehementiae & aegri viribus congruat, id perpetuò prae oculis habentes, in opiatorum usu numquam audacter, semper moderatè esse procedendum, praestat enim sub pauca quantitate remedium tutum praescribere, quam improvida dosi aegrum in vitae discrimen trahere. Multa & varia medicamenta pro singultu à scriptoribus Medicis traduntur, sed inutilis, imò & noxia est remediorum farrago: atque adstringentia, roborantia calida, purgantia fortia, aut quovis modo agitationem nimiam inducentia medicamina non modò non juvant, ut potius singultum augeant, aliaque pessima mala advocent. Pro eructationibus tollendis pauca aut ferè nulla remedia ex usu esse debent; si quid tamen agendum sit, in subsequentibus aphorismis, & inferius agentes de cholera, monstrabimus.

APHO-

APHORISMI.

I.

Vomitus autem utiliſsimus eſt quammaximè pituita ac bile commixtus: non admodum craſſus nec multus. Sinceriores namque deteriores ſunt (a).

II.

Si tamen fuerit id, quod vomitur, porraceum, vel lividum, vel nigrum, quicumque ex his coloribus fuerit, malum eſſe exiſtimare oportet (b).

III.

Si tamen omnes colores idem homo vomuerit, valdè lethale jàm eſt (c).

IV.

Celerrimam autem mortem oſtendit lividus vomitus, ſi foetidum oleat (d).

V.

Omnes verò ſubputridi ac foetidi humores mali ſunt inomnibus, quae vomuntur (e).

Cum in vomitu contemplanda ſit materia quae rejicitur, & vomendi modus, in iis ſententiis, quae in praxi veriſsimae ſunt, comprehenditur ſignificatio omnium excrementorum, quae vomitu rejiciuntur. Eas ergo in mente habeant tirones, faciles enim intellectu ſunt, noſque in Illuſtrationibus ad Hippocratis prognoſtica pro uſu practico aliquantum elucidavimus.

VI.

Ex vomitu ſingultus & oculorum rubor, malum (f).

Vomitum ad educendos crudos corruptoſque humores

(a) Hipp. *lib. Prog. ſec. 2. ſent. XXXVIII.*
(b) Hipp. *loco citato, ſent. XXXIX.*
(c) Hipp. *loco citato, ſent. XL.*
(d) Hipp. *loco citato, ſent. XLI.*
(e) Hipp. *loco citato, ſent. XLII.*
(f) Hipp. *lib. 7. Aphor. ſent. 3.*

ex ventriculo prodeſſe, ſatis notum eſt, ipſum tamen ex irritatione & inani ſtimulo excitatum noxium eſſe, fidis obſervationibus conſtat. Vetuſtiſsimi Medici vomitiones in aegris & ſanis excitare frequentes in uſu habuerunt, ut mirum non ſit ab Hippocrate ſaepiſsimè hanc excretionem commendari. Recentiores in varias abeunt ſententias. Gorterus parùm boni ex vomitoriis expectat (a). Pitcarnius in nullo ferè morbo vomitionibus non utitur. Mediam tenent viam Sydenhamius, Hoffmanus, Vanſwietenius. Videri poſſunt quae ex accuratis obſervationibus, & probatiſsimis autoribus de recto vomitus uſu adnotavimus in Illuſtrationibus ad Hippocratis prognoſtica (b). Vomentibus ferè omnibus facies turget, & illacrimantur oculi cum rubore, ſed cum vomitus utilis eſt, haec citò diſsipantur, cùm tamen diutius permanent, à vomitu timendum. Diſcimus hinc phreniticis, aut caput quovis modo inflammatum habentibus, vomitionem non eſſe imperandam. Singultus rarò vomentibus adeſt: ſupervenire interdum ſolet aut vitio hepatis phlogoſi affecti, aut cum humor ventriculum occupans non in cavitate, ſed in tunicis haeret, neque ſatis diſpoſitus eſt, ut per os ejiciatur. Docemur hinc, hepate phlegmone correpto, aut humore tunicis ventriculi imbibito, non eſſe praeſcribendas vomitiones, periculum enim eſt, nè inde vomitus cruentus, convulſio, aut delirium ſuperveniat.

VII.

Ad helleboros, qui non facilè ſurſùm purgantur, iis ante potionem corpora praehumectanda copioſiore alimento, & quiete (c).

„ Ubi longi valenteſque morbi ſine febre ſunt (inquit „ Celſus), ut comitialis aut inſania, veratro quoque albo „ utendum eſt. Id neque hyeme, neque aeſtate rectè datur: „ optimè vere: tolerabiliter autumno. Quiſquis daturus erit, „ id

(a) Gorter *Medic. Hipp. lib. 1. ſent. 3. pag. 449.*

(b) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Prognoſt. ſec. 1. ſent. 15. pag. 40. & ſec. 2. ſent. 38. pag. 157. ſeq.*

(c) Hipp. *lib. 4. Aphor. ſent. 13.*

„ id agere ante debet, ut accepturi corpus humidius ſit (a). Ergo aeger vomitorium ſuſcepturus, per diem integrum ante ejus praeſcriptionem, decocto pulli gallinacei, aut juſculo permixto oleo amigdalarum dulcium humectandus, ut facilè vomat. Nunc helleboro non utimur ad vomendum, quia nimis acre vehemenſque medicamentum eſt; at radix diſenterica, & tartarus emeticus, etſi lenia cenſeantur, ſine ſufficienti humectatione propinanda non ſunt.

VIII.

Si ſuperni loci turgent qui ſunt circa caput, ulcerum purgatio, vomitus, hydrops (b).

In capitis morbis à repletione naſcentibus, ſi repletio ex plethora fiat, venarum brachii ſectio, aut hirudinum pone aures applicatio, aut narium haemorragia juvat: ſi repletio ab obſtructione oriatur, inter alia maximè prodeſt vomitus, quod praeceptum non modò ad curationem, ſed ad praeſervationem valere exiſtimo. Ergo in capitis dolore cum gravitate aliiſque hujus partis affectionibus, tutò vomitus conſulitur. Sunt qui vomitiones caput gravare autumant, ſed jure meritò Martianus eos refellit his verbis: „ Vomitum ſecundo loco proponit pro capitis repletione tollenda, quo caput foeliciter & citò expurgatur... Valeant „ ergo illi qui vomitum in capitis affectibus adeo formidant, caput inde repleri exiſtimantes, quia etiam ſi caput in actu vomitionis aliquo modo repleri videatur, nihilominus, quia talis repletio eſt vaporum, qui, ceſſante „ vomitu, ſtatim evaneſcunt, à vomitu caput repleri dicere „ non poſſumus (c).

IX.

Vomitus ſolutio aquam calidam potu dare, & vomat (d).

(a) Celſ. *de Medic. lib. 2. cap. 13. pag. 22.*

(b) Hipp. *lib. 2. Epidem. ſec. 6. verſ. 36.*

(c) Martian. *Com. ad lib. 2. Epidem. Hipp. ſec. 6. verſ. 36. pag. 318.*

(d) Hipp. *lib. 2. Epidem. ſec. 5. ſent. 29.*

X.

X.

Si quis homini vomenti aquam multam bibendam dare velit, eluentur ea, propter quae vomit unà cum vomitu, & sic quidem per vomitum vomitus sedatur (a).

In febribus malignis, cholera morbo, tertianis intermittentibus perniciosis, aliisque hujusmodi morbis, vomitus enormes quandoque observantur, quos, vomitu excitato per medicamenta emetica, curare velle, temerarium est. Loquitur ergo Hippocrates de cruditatibus ventriculum infestantibus, in quibus per vomitum expellendis natura juvanda est aqua tepida, & si opus fuerit oleo amigdalarum dulcium, aut aliis medicamentis vomitum leviter concitantibus, ex materia medica desumendis. Videndi utique Vallesius & Lazarus de Soto, qui hanc doctrinam optimis consiliis exornant (b).

XI.

Sub purgare ventres oportet in morbis cùm concocti fuerint, alios quidem deorsum, cùm consedisse videris... alios autem sursum in paroxismis, tunc enim sua sponte sublevantur, cùm anxii & capite gravati fuerint, & se jactarint (c).

Anxietas, jactatio cum capitis gravitate, febris fomitem circa os ventriculi existere demonstrant. Cùm ergo haec symptomata in febribus sub accessionum initiis apparent, accuratè inquirat Medicus, num phlegmon eas occupet partes, tunc enim à vomitoriis est abstinendum. Si verò humorum concursus & agitatio sine phlegmone eam partem occupet, praecipiendum, ut aeger vomat, quia: „ In paroxismis intermittentium febrium solent vomitus esse utilissimi, adeo ut solis his soleant tertianae curari, & quartanae febres mittescere (d). Optimè Celsus: „ Omnibus „ (inquit) qui ante febres horrore & tremore vexantur: omni-

„ ni-

(a) Hipp. *de Locis in hom. text.* 138.

(b) Vallesius *Com. in lib.* 2. *Epidem. Hipp. sec.* 5. *vers.* 29. *pag.* 102. Lazarus de Soto *Com. in lib. Hipp. de Locis in hom. tex.* 138. *pag.* 85.

(c) Hipp. *lib.* 5. *Epidem. text.* 58.

(d) Vallesius *Com. in lib.* 5. *Epidem. Hipp. text.* 58. *pag.* 258.

„ nibus qui cholera laborant : omnibus etiam cum quadam „ hilaritate insanientibus : & comitiali quoque morbo oppres- „ sit (vomitus) necessarius est (a).

XII.

Hymenae soror spirituosa & intentis hypocondriis apparebat per tempus... Cataphora minor, & febris, & aliquando melius spirans, quod supra vomuerat vomitum pravum, &c. (b)

Loquitur Hippocrates de foemina ex utero laborante, quam vomitus insigniter levaverat. „ Certè (inquit Valle- „ sius) quae uterinis morbis tenetur, aut ex suppressione „ menstruorum ortis, magnopere solet juvari vomitibus, „ quia cum utero magnopere consentit ventriculus, & ejus „ passiones gravissima symptomata afferre solent, anxieta- „ tes enim, & deliquia animi, & capitis gravitatem, & ver- „ tiginem, & motus convulsivos, & praefocationem (c). Nec solùm hystericas foeminas vomitibus juvari vidimus, sed & viros hypocondriacos ob stomachum malè affectum : iis enim solemne est multam salivam effundere, multamque pituitam vomere, interdum jejuno stomacho, frequenter post assumptos cibos, sed ferè semper cum levamine. Qui ergo horum hominum ad vomendum propensiones medicamentis curare intendunt, aegros in melancholicam, vel maniacam affectionem, aut in tabem, aliaque saevissima mala praecipitant (d). Idem dicendum de senibus, ob ventriculi inertiam & collectas in eo cruditates, vomiturientibus, quamquam magno apparatu medicamentorum curationem instituat Desauvages (e).

XIII.

Graciles & facilè vomentes sursùm purgandi vitantes hyemem (f).

(a) Cels. *de Medic. lib.2. cap. 13. pag.87.*

(b) Hipp. *lib.4.Epidem.text.75.*

(c) Vallesius. *Com. in lib.4. Epid. Hipp. text.75. pag.189.*

(d) *Vide Physiol. nostr. tract.3. prop. 21. num.94.*

(e) *Nosolog. Method. class.9. §. XIII. num.26. pag.115.*

(f) Hipp. *lib.4. Aphor. sent.6.*

XIV.

Difficulter autem vomentes, & mediocriter carnosi, deorsùm vitantes aestatem (a).

Difficilè vomentes solent tremere manibus & labiis, & balbutire, & ruborem, tumoremque in facie contrahere, & oculos tumidos, exertos, & humidos habere. Qui ergo ita afficiuntur ex vomitu, numquam ad vomendum cogendi, periculum enim est, nè sanguinem fundant aut convulsione corripiantur. Eadem ratione vomitus imperandus non est tabidis, aut quibus pectus angustum est cum facili ad sanguinem fundendum dispositione (b).

XV.

Morbis quibuslibet incipientibus, si bilis atra sursùm vel deorsùm prodierit, lethale (c).

Nigra sub morborum initiis revomere signum est, ventriculum, hepar, partesque vicinas atrae bilis copia infestari, atque adeo extrema acrimonia & corruptione extingui. Solet interdum endemium esse hoc malum. Lectu digna est historia, quam de vomitu nigro, Carthagine nova in America, Europeis superveniente, tradit Antonius de Ulloa, ibi enim hujus mali ortus, progressus, atque symptomata accuratè describuntur (d). Pauca remedia saevissimo huic malo prodesse observamus; si quid autem interdum utile visum, sunt acida limonum, agrestae, & similia, quibus omnibus spiritus nitri dulcis usum aqua frigida mixti ultrò praeferrem.

XVI.

Qui sanguinem vomunt, siquidem sine febre, salutare; si verò cum febre, malum. Curandum autem refrigerantibus & adstringentibus (e).

In

(a) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. sent.* 7.
(b) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. sent.* 8.
(c) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. sent.* 22.
(d) D. Antonio de Ulloa, *Relacion histor. del Viage à la America Meridion. lib.* 1. *cap.* 5. *tom.* 1. *pag.* 59.
(e) Hipp. *lib.* 7. *Aphor. sent.* 37.

In more fuit Hippocrati per vomitum ſanguinis intelligere non modo excretionem, quae ex ventriculo fit per gulam, ſed eam etiam quae fit per aſperam arteriam ex pulmone (a). Quae ergo de ſanguinis ſputo diximus, hic tranſferri poſſunt. Id tamen addendum, vomitum ſanguinis ſine febre ſalutarem eſſe poſſe, ſi excretio nimia non fuerit, aut ex rupto vaſe magno ſanguis profluat, ita enim ſub generali dogmate comprehenditur, quo ſtatuitur: „Sanguinem „ſursùm quidem, qualiſcumque ſit, malum eſſe (b). At ſi ſanguis ex ventriculo per vomitum ſine febre ejiciatur paucus quidem, ex intervallis, neque aegrum multùm debilitans, tunc ſalutaris eſſe ſolet in foeminis quibus ſuppreſſa ſunt menſtrua, & viris haemorroidum fluxui obnoxiis. Curatio refrigerantibus & adſtringentibus non ubique locum habet, ſed tantum in fine ad impediendum nè malum redeat. Sub initiis verò placet Gorteri curatio ſic inſtituta: „Si ab acribus aſſumptis generetur ſanguinis vomitus, nè „aliquando de eo acri reſtaret in ventriculo, danda eſt po„tio diluens, quae vomitu rejecta id acre ſimul aufert; ſed „ſi fiat à cauſa interna, vomendi conatus compeſcendus „parva quantitate vini rhenani diluti cum citri ſucco & lau„dano liquido, cavendum ab omni adſtringente & coagu„lante... Quare praecipua curationis pars eſt facere & ſer„vare ventriculum quantum fieri poteſt vacuum per aliquot „dies, ingerendo alimenta liquida tam parva copia & par„titis vicibus, ut vita ſervari poſsit, evitando omnia du„riora, acria, & copioſiora. Quibus continuatis ſpontè ceſ„ſabit ſanguinis vomitus, quod adſtringentibus facilè fieri „non potuit (c).

XVII.

Ab hepatis inflammatione ſingultus, malum (d).

Non ab hepate inflammato ſolùm, ſed & ob ſepti tranſverſi, & inteſtinorum tenuium phlogoſim fit ſingultus, com-

(a) VideMartian. *Com. in lib. 7. Aphor. Hipp. ſent.* 37. *pag.* 475.
(b) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. ſent.* 25.
(c) Gorter *Medic. Hipp. lib.* 7. *aphor.* 37. §. *III. pag.* 477.
(d) Hipp. *lib.* 7. *Aphor. ſent.* 17.

municato ſcilicèt malo orificio ſuperiori ventriculi. Poſtulat ergo hujus ſymptomatis praeſentia accuratum Medici examen, nè purgantia, aut emetica in inflammatione praeſcribens, malum augeat. Hac ratione Hippocrates ab ileo, & vomitu ſingultum malum eſſe, ex vero pronuntiavit (a). Huc pertinet obſervatio Vanſwietenii notatu digniſsima: „ Omnium frequentiſsimus & moleſtiſsimus ſingultus oritur, „ dum aphtis obſidetur aeſophagus, & ſaepe antequam in „ faucibus appareant, vel oris interni partibus, ex ſingultu „ nato illas jam adeſſe noverunt Medici... ad quem curan„ dum nihil ferè melius invenitur, quàm ſi omni hora pau„ culum olei amigdalini recens preſsi deglutiatur, quod blan„ da ſua vi excoriatum aeſophagum pulcherrimè demul„ cet (b).

XVIII.

Convulſio fit aut à repletione, aut evacuatione. Sic quidem etiam ſingultus (c).

Repletio, & inanitio ſunt cauſae occaſionales ſingultus, & convulſionum, quarum prima pertinet ad plethoram, aut obſtructionem: altera ad diatheſim. Sed cùm non omnis repletio atque inanitio haec mala generet, proinde monemus, non humorum copiam, quae in manifeſtis cavitatibus eſt, unde via facilis expulſioni paratur, producere convulſionem aut ſingultum, ſed eam tantùm quae intimam partium ſubſtantiam penetrat, atque earum humidum nativum certa diatheſi corrumpit, quod etiam de inanitione eſt intelligendum, ut alibi monſtravimus (d). Igitur venena & quaevis acria ingeſta convulſionem atque ſingultum procreant ut cauſae efficientes, quod notare voluimus, ut variis hac de re celeberrimorum ſcriptorum diſſenſionibus tirones non confundantur.

(a) Hipp. *lib. 7. Aphor. ſent. 3. & eodem lib. ſent. 10.*

(b) Vanſwiet. *Com. in Aphor. Boerh. §. 659. tom. 2. pag. 243.*

(c) Hipp. *lib. 6. Aphor. ſent. 39.*

(d) *Vide Tract. noſtr. de Febrib. ling. vernacula, cap. VI. §. 3. pag. 177. ſeq.*

XIX.

A ſingultu detento ſternutationes ſupervenientes ſolvunt ſingultum (a).

„ Ingenuè fateor (ſolito candore ait Sydenhamius) me „ mihimetipſi de ſingultus cauſa diſquirenti ſatisfacere non „ poſſe, nihilominus obſervavi, ſaepe illum ex turbis ac tu„ multu ab aſperioribus medicamentis in ventriculo, lociſque „ vicinis excitato ortum ducere (b). Sternutamenta quoſdam morbos ſolvere, alios exaſperare, alibi monſtravimus (c); at obſervationibus fidis conſtat ſingultum eum tollere qui à materia ſubtili & acri ventriculum infeſtante procedit, ita enim comparati ſumus, ut mira ſit omnium partium conſenſio, unaque affectio aliam tollere ſoleat (d). Appoſitè inquit Duretus: „ Enimvero ſi ea materia tantùm ſtabu„ latur in tunicis alvi ſine affluxus perennitate, ſternuta„ mento excutitur, vel hiera picra excluditur radicitùs extir„ pata, atque ſternutamenti auxiliares vires in Ariſtophane „ legimus, qui cum ſingultiendo rumperetur, neque ſpiri„ tum cohibendo, neque bibendo levaretur, tandem ex praeſ„ cripto Eriſymachi Medici, citata ſternutatione, ſingultiendi „ finem fecit (e).

XX.

Singultus multi poſt favonium ſiebant uſque ad equinoctium autumnale (f).

Valleſius noſter, ut erat graecis litteris eruditus, optimè notat in quibuſdam codicibus non *ſingultus* ſed *ſiccitates* legi, quam lectionem ipſe approbat, quoniam confirmatur ex libro ſeptimo epidemiorum, ubi haec ſententia legitur non de ſingultu, ſed de ſiccitatibus. Ipſe autem cum variorum codicum lectiones conſuluerim, atque veteres vide-

(a) Hipp. *lib.6. Aphor. ſent.* 13.
(b) Sydenham. *Obſerv. Medic. ſec.* 1. *cap.*4. *pag.*9.
(c) *Vide Illuſtr.noſtr. ad Hipp. Progn. ſec.*2. §.*XLIX. pag.*177.
(d) *Vide Phyſiolog. noſtr. tract.* 2. *prop.*12. *pag.*108.
(e) Duret. *Com. in Coac. Hipp. lib.* 1. *ſent.*47. *pag.*25.
(f) Hip.*l.*5.*Epid.text.*91. *edit.Valleſ.*

rim de ſingultu loqui, eam lectionem retinendam cenſui, cum praeſertim experientia edoctus intellexerim, quaſdam temporum conſtitutiones ſingultui producendo eſſe aptiſsimas. Ergo, ut, quae ad ſingultum pertinent, brevius concludamus, adnotare expedit, triplici modo ſaeviſsimum hoc ſymptoma produci. Primùm, cum craſsi crudique humores non modò ventriculi cavitatem, ſed tunicas earumque poros implent. „Fingite (inquit Heredia noſter) linteum humore totum imbutum, quin ex linteo formata ſit aliqua „ cavitas: ſi illud vehementer dilates & quatias, expelles non „ dubiè liquorem incluſum... Sicut in linteo propoſito „ continentur humores in ventriculo quando ſingultum ex„ citant, &c. (a). Singultus hic vomitionibus blandiſsimè excitatis: purgationibus ex hiera, clyſteribus: cibi & potus abſtinentia tollitur. Deinde naſcitur ſingultus ex inflammatione hepatis, inteſtinorum, ventriculi, diaphragmatis, qui venae ſectione, nitro, aliiſque id genus remediis tractari debet. Huc pertinent ſingultus epidemici aphtoſi, cum poſt auſtrales, & aquilonares alternè vigentes conſtitutiones, aphtoſa inducitur in ore ventriculi, aeſophago, partibuſque vicinis diſpoſitio hoc ſymptoma producens. De hac re videndus Sydenhamius, & Vanſwietenius (b). Pauca remedia eaque blandiſsima poſtulat haec ſingultus ſpecies, multumque tempori, & naturae concedendum. Interim ſyrupo violarum, de althaea Fernelii, de mucilaginibus, aut oleo amigdalarum dulcium aeſophagum delinire inutile non eſt. Denique ſingultus etiam fit à materia ſubtiliſsima, acri, & maligna, ex aëre, ingeſtis, aut alio quovis modo ventriculo haerente, eumque ac partes vicinas irritante. Omenta arietina recens extracta, cataplaſma ad ſingultum ex Pharmacopoea Matritenſi, fotus ex vino butyro permixto, aegris ita ſingultientibus prodeſſe conſuevere. Id in omni ſingultu tenendum, calida, roborantia, ſpirituoſa remedia interius praeſcripta ſaepè noxam immedicabilem induxiſſe.

(a) Hered. *tract. de Febre ſingult. cap.* 1. *pag.* 367.

(b) Sydenh. *de Novae febris ingreſ. pag.* 179. Vanſwiet. *Com. in Aphor. Boerh.* §. 659. *tom.* 2. *pag.* 243.

XXI.

XXI.

Flatum ſine ſonitu ac crepitu exire optimum eſt. Melius autem eſt cum ſonitu exire quàm revolvi, quamvis ſic procedens ſignificet, hominem aliqua parte dolere, aut delirare, niſi volens ſic flatum emiſerit (a).

Hanc ſententiam alibi declaravimus, itemque quid ſint flatus, & quomodo tractandi longè diſcuſsimus (b). Franciſcus Combaluſier tractatum de flatulentis humani corporis affectibus ante aliquot annos edidit. Opuſculum quidem eſt non contemnendum, ſed melioris frugis abſdubio eſſet, ſi in ſyſtematicis ratiociniis omnem fermè operam non collocaſſet.

XXII.

Ubi eructatio confert, & quaecumque alia hujuſmodi vias aperire oportet, &c. (c).

Sequuti hic ſumus veterum quorundam lectionem, etſi probè ſciamus, hanc ſententiam non ita integram à pluribus legi (d). Duo praecepta practica hic continentur. Alterum eſt, eructationes interdum conferre utileſque eſſe. Deinde vias eſſe aperiendas, ut flatus facilè exeant. „ Jàm „ verò (inquit Galenus) ventriculi etiam os infirmum ructi„ bus, ut propria exercitatione, roborari dicunt, monentque, „ ructus non ſolùm medicamentis excitari debere, ſed etiam „ ut homo ipſe aſsiduè ructare ſtudeat, ſi perexiguum ſpi„ ritum quemvis in ſtomacho ſentiat. Sabinus autem jubet, „ ut ex vaſculo, cujus anguſtum os ſit, bibamus, atque ita „ ructus excitemus (e). Sed ſigillatim enumerat Valleſius eos, quibus eructationes proſunt, his verbis: „ Proderit „ ergo iis, quibus multùm flatus in hypocondriis colligitur, „ aut toto ventre, carens tamen facili per ſedem exitu. Qua„ re iis, qui cruditate acida laborant, & lienoſis, & hypo-

„ con-

(a) Hipp. *lib. Prognoſt. ſec. 2. text. 24.*

(b) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Progn. ſec. 2. text. 24. pag. 115.*

(c) Hipp. *lib. 6. Epidem. ſec. 2. text. 26. edit. Valleſ.*

(d) Vide Gal. *Com. 2. in lib. 6. Epidem. text. 31.*

(e) Gal. *loco citato.*

„ condriacis, & mulieribus quae ſtrangulantur ex utero, &
„ colicis, & volvuloſis, quibus nondum malum deorſum
„ repit, & multis nephriticorum (prodeſt) (a). Quod attinet remedia pro viis aperiendis, flatibuſque pellendis è corpore, minimè probamus communem practicorum methodum, qui calidis & roborantibus auxiliis id efficere tentant, noxia enim haec medicamina ſunt, & anxietates, interdum etiam cardialgias poſt ſe trahunt, cum in omni flatuum proventu materia craſſa ſpiritu igneo acri ſubtiliſsimo repleta reperiatur, ut fuſius in Illuſtrationibus ad Hippocratis Prognoſtica monſtravimus. Igitur corporis exercitationes, quibus tenuiſsima flatuum materia diffiatur, craſſaque concoquitur: diaeta humectans & blandè laxans: potus neque nimium frigidus, nec calidus, copioſus tamen pro virium ratione, aliaque id genus auxilia, ad vias aperiendas flatuſque expellendos plurimùm proſſunt. Id generaliter tenendum, cruditatem omnem, externumque frigus perpetuò eſſe vitanda, flatus enim niſi coquantur, numquam rectè pelluntur; eorum autem coctio poſtulat, ut cruditas, externumque frigus procul abſint. Non propterea nimius excitandus calor, hic enim ſeu interius, ſeu exterius applicetur, ſi vehemens ſit, flatus non ſolùm promovet, ſed & alia ſymptomata cum ipſis provocat.

CAPUT VI.

DE CHOLERA.

CHole Graecis, Latinis *bilis*, nomen dediſſe creditur morbo quem Graeci aequè ac Latini *choleram* vocant (b). Non deſunt tamen qui choleram derivant à *cholados*, quod inteſtina ſignificat (c). Utut ſit, omnes conveniunt, quod cholera eſt: *Immodica & praeternaturalis ventris perturbatio, qua humores & alimenta corrupta tam ſupernè per os, quàm infernè per alvum ejiciuntur.* Symptoma eſt in excretis, quod neceſ-

(a) Valleſ. *com. in lib. 6. Epidem. Hipp. ſec. 2. text. 26. pag. 294.*
(b) Vide Foeſium *Oeconomia Hipp. verb. χολέρα, pag. 681.* & Gorraeum *pag. 705.*
(c) Vide Alex. Trall. *lib. 7. c. 16. p. 299.*

ceſſariò aliud genus ſymptomatis ſequitur, actionem nempè depravatam facultatis expellentis, numquam enim violenta cholerae excretio fit ſine irritatione. Morbus horum ſymptomatum generator eſt intemperies, non ea modò quae in qualitatibus, ſed quae in vitiata partium ſubſtantia conſiſtit, ſaepe enim fit, ut ipſum humidum nativum ventriculi & inteſtinorum aut nimio aeſtu ſcandeſcens, aut ſpeciali corruptione vitiatum choleram producat. Pars affecta ſunt ventriculus & inteſtina, ut propter ventriculum malè affectum vomitus, ob inteſtina alvi fluxus ſequatur. Morbus hic praeter communes aliorum differentias id peculiare habet, ut ſaepe cholera ſit humida, interdum ſicca. Humida eſt, cum aut humores ſinceri, aut cum corruptis alimentis mixti per os & anum ſimul ejiciuntur. Sicca eſt cùm non humor, ſed flatus tum ſupernè per eructationes, tum infernè per crepitum, magna ventris perturbatione, eodem tempore erumpere conantur.

Plethora occaſionalis cauſa cholerae eſſe poteſt, dum ob ſuppreſſas haemorroides, aut quovis modo conſuetam ſanguinis excretionem per nares, os, uterum, replentur nimis vaſa hepatis, ventriculi, meſenterii, inteſtinorum. Sic foeminis hiſtericis, & viris atra bile vexatis cholera familiaris eſſe ſolet. Obſtructio earundem partium, naturam gravando, aut alimentorum digeſtionem impediendo, occaſio non infrequens cholerae eſſe conſuevit. Sed omnium maximè diatheſis huic morbo producendo confert, etenim ſanguis & humores, acrimonia, corruptione ſpeciali, vitiati, naturam ſtimulis & irritamentis excitant, atque qua data porta ruentes è corpore pelluntur. Videre ergo oportet in his, qui cholera afficiuntur, quodnam acrimonae & corruptionis genus in viſceribus lateat, nam atrae bili, ſcorbuto, exanthematicis, & arthriticis affectionibus, aliiſque hujuſmodi malis obnoxii, choleram facillimè experiuntur. Inter cauſas externas aër primum ſibi vendicat locum, non ſolùm manifeſtis qualitatibus, ſed occulta etiam vi infectus. Æſtatis tempore choleras fieri monuit Hippocrates (a), atque ex

(a) Hipp. *lib.7. Epidem. ſec.2. verſ. 270.*

ex vero ait fidiſsimus ejus ſectator Sydenhamius, morbum hunc circa finem aeſtatis eadem prorſus fide ſingulis annis vigere, qua hirundines initium veris amare conſuevere (a). Certis autem annorum conſtitutionibus tum ob manifeſtas, tum ob occultas aëris vires, id mali genus graſſari fidis obſervationibus conſtat (b). Sed ingeſta maximam habere vim ad choleram inducendam norunt ii, qui ventri obedire pro religione habent, alimenta enim, etſi boni ſucci, cùm nimia quantitate ingeſta fuerint, ſeu gravando, ſeu naturae vires opprimendo hunc morbum excitare ſolent. Praeterea ſunt cibi, qui propriis facultatibus huic morbo producendo apti cenſentur, eoſque recenſet Hippocrates his verbis: „ Cholericae bilis ſurſùm, ac deorſum eruptiones ex carnis „ eſu, maximè ſuillae crudioris, & ex ſiſere, & ebrietate „ vini odorati veteris, & inſolatione, & ex ſepiis, & lo- „ cuſtis, & gammaris, & ex olerum eſu, maximè porri, „ & ceparum. Inſuper & à lactucis coctis, & braſsica, & „ rumicibus crudioribus, & à placentis, ac dulciariis, & „ mellitis libis, & à fructibus pomorum & cucumere, pe- „ pone, & vino lactei teporis, & ervo, & polenta recenti (c). Fatendum tamen, haec omnia choleram gignere aeſtatis tempore, non perpetuò, ſed tunc tantùm, cùm immoderatus eſt eorum uſus, neque ſtomachi viribus & conſuetudini congruens. Animi patemata cholericas producere affectiones in corporibus diſpoſitis tum agitando, cum maximè humores atque alimenta in ventriculo corrumpendo, omnibus notiſsimum eſt (d).

Etſi cholera nullo non tempore invadat, nullique parcat aetati, tamen aeſtate magis quàm aliis anni temporibus, pueros juveneſque potius quam ſenes adoriri ſolet. Interdum ſubitò nullis antecedentibus ſignis ingruit, ſaepe autem praecedunt cruditates acidae, nidoroſae, aut ex his mix-

(a) Sydenham. *Obſerv. Medic. ſec.* 4. *cap.* 2. *pag.* 32.

(b) Vide Sydenh. *Obſerv. Medic. ſec.* 1. *cap.* 2. *pag.* 3. *& ſec.* 4. *cap.* 1. *pag.* 31. *& epiſt. reſp.* 1. *pag.* 61.

(c) Hipp. *lib.* 7. *Epidem. ſec.* 2. *verſ.* 265. *ſeq.*

(d) Vide Bianchi *Hiſt. hepat. part.* 3. *de Bilioſ. affection. can.* 7. *tom.* 1. *pag.* 220.

mixtae. Incipiente morbo vomitus adeſt alimentorum crudorum, itemque humorum bilioſorum, ſeroſis atque pituitoſis immixtis. Simul cum vomitu adeſt alvi fluxus, quo eadem ejiciuntur. Interea ſumma adeſt totius ventris perturbatio: anxietas: cardialgia: ſitis: implaciditas: jactatio. Creſcente morbo vomitus & alvi fluxus fermè continui, magis bilioſi, minus crudi: anxietas maxima: inquietudo: vigilia: ſudor: ſitis implacabilis: pulſus parvi, denſi, obſcuri, debiles: capitis nutatio: viſus hebetudo: extremorum frigus. Cholera ad ſtatum evecta, ſupradicta omnia: alimenta, potus, & quaecumque aſſumpta citò vomitu, dejectione pelluntur: vires languent: pulſus debiles: ſudatiuncula: frigiditas. Quod ſi aegrum ad interitum ducat, his accedit totius corporis frigus, quaſi marmoreum: ſudor frigidus glutinoſus: pulſus obſcuriſsimi, parviſsimi, formicantes: oculi cavi: naſus acutus, tempora collapſa, aures ſubverſae & frigidae, uno verbo facies cadaveri ſimilis, quam vulgò Hippocraticam vocant, quoniam ab Hippocrate deſcribitur in Prognoſticis. His ita conſtitutis, aeger inter vomitus & ventris dejectiones ſyncope perfecta correptus interit. Dum verò morbo in ſtatu conſtituto vomitus & alvi dejectiones ex longioribus fiunt intervallis, ut alimenta & potus detineantur uſque quo natura reficiatur, ſi interim pulſus vividiores ſint, facies minimè collapſa, frigus abſit, atque ſudor calidus univerſum occupet corpus, ſalus ſpectanda eſt, quae multò certius ſupervenit, ſi his omnibus ſomnus accedat placidus neque levi de cauſa interruptus. Morbus hic acutiſsimus eſt, ut nictemeri ſpatio fermè curſum peragat, ad ſummum autem extenſus quartum diem attingat, idque advertendum, perpetuò exitialem eſſe, ſi quod evomitur malè olet, aut ſtercoraceum eſt. Magnum item periculum portendunt dejectiones ab initiis ſincerae, ſingultus, ſurarum brachiorumque diſtenſio, Lotii ob veſicae convulſionem retentio. Rarò enim ea omnia mors non ſequitur doloribus plena, & per convulſionem, ſtrangulatum, & inanem vomitum miſeranda. Ferèque ſic incidit, ut pueri minus quàm ceterae aetates periclitentur: ſenes rarò hoc corripiantur morbo; ſed rariſsimè evadant.

In curatione cholerae duo maximè prae oculis habenda. Primùm, nè materia corrupta intùs coerceatur. Alterum, ut vires languentes foveantur. Prima intentio poſtulat, ut viae laxentur, cùm enim quis corpora purgare voluerit, oportet ea fluida reddere (a). Deinde humorum corruptio coercenda, eorumque acrimonia temperanda. Secunda intentio expoſcit, ut cibo & potu, ac, ſi fieri poteſt, ſomno vires ſuſtineantur & reficiantur, quae duae intentiones etſi in enumerando diſpares ſint, in opere tamen practico ſimul eodemque tempore exerceri debent. Igitur in ipſis cholerae initiis, nullaque ſpectata mora coquendus eſt pullus gallinaceus in libris decem aquae communis. Simul parandum eſt juſculum ex arietina carne, gallina, aut perdice ex more confectum. Ex decocto pulli injiciendi ſunt clyſteres pro re nata repetendi; ſed per os alternè ſumendum decoctum pulli, & juſculum praedictum, ut ſingulis duabus horis ſumat aeger pulli decoctum, aliis duabus horis tranſactis juſculum, quod ita faciendum, donec materia corrupta ſit penitus evacuata. Caeterùm, quae per os aſſumuntur, pauca quantitate ſunt exhibenda, atque interdum expedit, ut inanes vomendi conatus moderentur, oleum amigdalarum dulcium recentiſsimè extractum decocto pulli immiſcere. Quod ſi materia majori ex parte evacuata, aeger vomitu & alvi fluxu, magniſque ſymptomatibus vexetur, cùm id non à copia ſed ab irritatione fiat, aut naturae impotentia, expedit decoctum pulli ita efformare, ut pullus roſis ſiccis impleatur, pulvere trochiſcorum Ramich inſperſis (b), ita enim per clyſteres atque os aſſumptum humorum acrimoniam lenit, naturamque labantem reſtituit. Si autem haec non ſufficiant, parùm ſucci agreſtae juſculo miſcere convenit, atque aquam frigidam guttulis aliquot vini temperatam ex intervallis propinare. Jam verò cum haec omnia benè ritèque praeſcripta malum non coercent, potionem praeſcribere oportet ex confectione hyacinto-

---

(a) Hipp. *lib. 2. Aphor. ſent. 9.*
(b) *Vide Pharmac. Matrit. ſecundae edit. part. 4. pag. 301.*

torum, aqua theriacali, pulvere cryſtalli montanae praeparatae, additis ad ſummum guttulis quatuor laudani liquidi ex deſcriptione Sydenhamii, aut granis octo electuarii diaſcordii Fracaſtorii. Simul totam ſpinam ex poſca, aut ſucco agreſtae linteis accepto madefacere, utile eſt: imo & cucurbitam inter ſcapulas affigere non eſt incongruum. At ſi his nihil proficientibus: „ Omnia aeger (inquit Aretaeus) „ vomitu rejiciat, ſudor perennis effluat, frigeat laborans, „ & lividus fiat, pulſus etiam propè extincti ſint, & vires „ cadant: cùm ita, inquam, ſe habuerint, inde honeſtam „ fugam capeſſere bonum eſt (a). Ego autem conſulo, ut Medici aegros, quamquam de eorum ſalute deſperent, numquam deſerant, quamdiu ſpiritus membra regit, nam cùm ſalutem exoptatam reſtituere non poſſunt, tamen vitam pro virili tueri tenentur. Sed id in fine non ommittendum, purgationes & vomitiones ex arte factas in hoc morbo ſummè eſſe noxias, atque venae ſectionem cane pejus & angue fugiendam eſſe, his enim omnibus aeger in ſyncopam immedicabilem labitur.

APHORISMI.

I.

Lipyriae febres non niſi ſuperveniente cholera exolvuntur (b).

Lipyriae febres dicuntur illae, in quibus interna uruntur dum externa algent, ſuntque periculoſiſsimae, ut pauci admodum ſint qui effugiunt. Sed duplex eſt lipyriae febris genus: alterum ex eryſipelate viſcerum natum, quod prorſus eſt immedicabile, atque ſumma externarum partium frigiditate, ſummo etiam internarum ardore & inhexauſta ſiti aegros ad interitum ducit. Altera lipyria febris ea eſt, quae ex collectione bilis flavae, aut atrae in viſceribus naſcitur, hancque natura per choleram ſolvit. Tertianas autumnales

(a) Aret. *de Cura t. morb. acut. lib. 2. cap. 4. pag. 105.*

(b) Hipp. *Coacae praenot. Duret. lib. 1. ſent. 126. pag. 61.*

urentiſsimas, frigore tamen extremorum comitatas, cholera ſuperveniente tolli, natura monſtravit, ut hinc Medici eam imitantes didicerint, nullo modo eas febres tutius curari quàm praeſcripto medicamento emetico, quod ſimul vomitum & alvi fluxum promoveat, quod remedii genus in tertianis hyemalibus, ubi craſsi humores nimium redundant, non aequè commodum eſt. Obſervatione notum eſt, quibus hypocondria aeſtuant ſine febre, ut in affectionibus hypocondriacis contingere ſolet, dum pedes aliaeque partes extremae ob ventriculi aeſtum frigent, commodè per choleram periodicè ſupervenientem ſanari, morbus enim hic quibuſdam accidit certis intervallis, omnemque corporis redundantiam, una cum vitioſis humoribus ventriculum parteſque vicinas occupantibus, commodè educit (a).

II.

Porrò in morbis natura non rarò totum animal per eaſdem venas purgat, non tamen eſt ea evacuatio ſanguinea, ſed pro ratione infeſtantis ſucci: ita nimirùm & in choleris per venas, quae ad inteſtinum & ventrem pertinent, totum vacuatur corpus (b).

Quemadmodum ingeſta ex ventriculo & inteſtinis in totum corpus diffunduntur, ita ex univerſo corpore humores in ventriculum & inteſtina confluunt, ex quo occaſio plurium morborum fit. Ergo in cholera intento animo diſquirat Medicus an ex capite, hypocondriis, aut habitu corporis vitioſi humores in ventriculum & inteſtina ruant, ut remedia mittentibus partibus adaptentur. Id perpetuò tenendum, calida medicamenta & roborantia rarò in hoc morbo prodeſſe, ſaepe nocere, quia ſi humores ex aliis partibus in ventriculum fluant, eo roborato, minus ſuſcipit & expellit, undè partes mittentes laeduntur. Si humores choleram efficientes in prima tantum regione ſint, per roborantia

(a) Vide Duret. *loc. cit.* & Goraeum *verb.* χολέρα, *pag.* 702.

(b) Galen. *de Natural. facul. lib.* 3. *cap.* 13.

tia acriores redditi & intus coerciti graviſsima mala inducunt (a).

III.

Cholerici facti dyſurioſi judicantur omnes (b).

Monuit Hippocrates in febre epidemica optimum fuiſſe ſignum urinae ſtilicidium ſuperveniens, omnes enim ſuperſtites manſiſſe, neque ullum ex iis mortuum aſſerit, quibus morbus in urinae vias ſe converterat: „ Alvi enim etiamſi humectae „ eſſent maligno modo, mox ſiſtebantur, ciboſque omnes liben„ ter ſumebant (c). Colicos atque iliacos dolores materia in urinae vias converſa ſolvi, inferius videbimus. Spiritus nitri dulcis tum temperando, tum ad urinae vias ducendo materiam morboſam, in cholericis prodeſſe expertus novi. Praeſcribi poteſt in juſculo, aut aqua frigida ad guttas quatuor pro ſingulis doſibus, identidem repetendis.

IV.

Cholera periodum ferè obſervat tertianariam, ita nempè ut de tertio in tertium moveatur diem, ſeu plus minus exaſperetur (d).

Obſervavit Mortonus, intermittentes febres interdum manifeſtas, ſaepè occultas (hoc eſt per pulſum aliaque febris communia indicia non agnoſcendas) periodis tamen certis repetentes, cholera ſaeviſsima ſub acceſsionum initiis ſtipari, omnibuſque fruſtra tentatis remediis, ſoli cortici peruviano ritè praeſcripto cedere (e). Quod benè notent tirones, id enim me ſaepius obſervaſſe memini.

V.

Famula Oneſidemi in Lariſſa ulcerata eſt ventrem & inteſtinum

(a) *Vide Medic. Vratislav. anno* 1702. *pag.* 337.

(b) Klein. *Interpres Clinicus, de Cholera, pag.* 50.

(c) Hipp. *lib.* 1. *Epid. ſec.* 2. *verſ.* 76. *ſeq.*

(d) Klein. *Interp. Clinicus, de Cholera, pag.* 50.

(e) Morton *de Febrib. exercit.* 1. *cap.* 2. *pag.* 72. *ſeq.*

num à bile ſpontè commota, & prodibat ſurſum ac deorſum bilis & ſanguis, & febris tenebat... tertia autem mortua eſt veſperi, cum febris ipſam corripuiſſet valdè fortis (a).

„ Fuit itaque (inquit Valleſius) hic cholera morbus, ve„ rùm cum febre eaque tertiana continua... Eſtque hoc „ magnum quoddam exemplum venenorum, quae in noſ„ tris corporibus ſpontè gigni ſolent (b). Humores corporis, per corruptionem, veram venenorum naturam acquirere poſſe, communi celebriorum auctorum calculo comprobatur. Videre ſufficiat Garciam Profeſſorem Valentinum, & Nicolaum de Andrade, Urſaonenſem, qui ex profeſſo, ut ajunt, de hac re tractarunt (c). Sed, quae exterius admoventur, choleram ſaepiſsimè inducere, atque ita enecare, compertum eſt. Diſcimus hinc fugere ea medicamenta, quae ad venenorum naturam accedunt, qualia ſunt vitrum antimonii, mercurius vitae, aliaque id genus, Chimicorum furnis in hominum perniciem elaborata. Diſcimus etiam ea vitare alimenta & potus, quae humorum acrimoniam augere & in venenoſam indolem eos convertere apta nataque ſunt.

V I.

Athenis virum cholera corripuit, vomebatque, & deorſum dejiciebat & dolebat, & neque vomitus neque dejectio ſiſti poterat, & vox deficiebat, & moveri è lecto non poterat, & oculi caliginoſi & cavi erant, & convulſiones tenebant, ab alvo & inteſtino ſingultus, dejectio autem multò major erat quàm vomitus... frigidus verò factus eſt, & lavatus eſt infernè valdè multa uſque ad pudenda, uſque dum ſuperna incaluerunt, & vivebat. Poſtera autem die polentam tenuem bibit ex aqua (d).

Cùm Valleſii commentaria in Hippocratis Epidemica, teſte Mar-

(a) Hipp. *lib.* 5. *Epidem. text.* 19. *ex edit. Valleſ.*

(b) Valleſ. *loco citato, pag.* 236.

(c) Math. Garcia *de Venenis, diſp.* 1. *cap.* 11. *pag.* 37. *ſeq.* Nicol. Gutierrez de Andrade *Celebres Medicae Diſquiſ.*

(d) Hipp. *lib.* 5. *Epidem. text.* 10. *ex edit. Valleſ.*

Marciano, ab ipſomet Hippocrate manaſſe videantur, optandùm ſanè eſſet, ut ea tirones nocturna diurnaque manu verſarent (a). „ Cholera (inquit hic ſapientiſsimus ſcriptor) „ morbus eſt acutiſsimus pariter ac periculoſiſsimus. Ple„ rumque primo quaternario finitur, rariſsimè ſuperat ſep„ timanam, ac fortaſſe numquam, ſi legitimus morbus is „ ſit... In morbis hujuſmodi, quibus evacuationes praeter „ naturam conjunctae ſunt, fruſtra neque ſine majori peri„ culo tentatur adſtrictio, antequam copia excrementi va„ cuata ſit... Frigidus verò factus eſt debilitato ob effuſos ſpi„ ritus calore naturali... Uſus proinde eſt aqua calida in„ fernè valde multa... Fieri etiam poteſt haec caloris revo„ catio linteolis calidis admotis brachiis & cruribus. Dein„ de cibatus eſt polenta tenui ex aqua, cibo ſanè tenui, ut à „ debili etiam facultate commutari poſſet... In hunc uſum nos „ utimur amylo ex jure pulli, aut gallinae. Conſidera hic an„ tiquorum prudentiam circa victum debilitatorum, qui re„ cens expurgatis, ut alioqui ſponte exhauſtis, tenuis cibi „ exiguum exhibebant... Contra ac vulgares Medici faciunt, „ tribuentes multos benè craſſos cibos cum vino, quaſi „ quod multis diebus exhauſtum ſit, unà ſint repoſituri (b).

VII.

In cholera ſicca venter inflatus eſt, & ſtrepitus inſunt, & dolor laterum ac lumborum: ſecedit autem nihil deorſum, ſed alvus adſtricta eſt (c).

In cholera ſicca aeger haec patitur. Venter cum rugitu & perturbatione agitatur: vertigo adeſt cum oculorum caligine, & crurum impotentia: nihil humidi per os & alvum excernitur, ſed flatus per ructus & crepitus ejiciuntur, ita tamen ut initio acceſsionis eructationes, flatuumque per ſuperiora emiſsiones multae & continuae ſint, crepitus autem pauci, ſtridentes cum partium infra umbilicum ſtrictura. Du-

(a) Vide Marc. *Praefat. ad Hipp. lib. Epid. pag.* 300.
(b) Valleſ. *loco cit. pag.* 228. *ſeq.*
(c) Hipp. *de Vict. rat. in acut. ſec.* 4. *verſ.* 363.

Durat paroxiſmus per aliquot horas, qui tamen certis temporum intervallis redit, & circa finem imminutis ructibus crepitus frequentiores & faciliores emittuntur. Malum hoc longum eſt, neque multum alit periculi, ſi benè tractetur, eoſque ingruere ſolet, quibus atra bilis in viſceribus delitescit. Si autem malè tractetur, in hydropem ſiccum, ileum, aut convulſivos morbos facilè tranſit, & parùm aut ferè nihil differt ab ea affectione, quam Hippocrates ſub nomine morbi ructuoſi deſcribit (a). Calida medicamenta adverſus flatus, quae vulgò carminantia dicuntur, in hoc mali genere noxia ſunt. Purgantia quantumvis levia prorſus fugienda. Committenda magis curatio naturae & tempori, quàm medicamentis. In acceſsione, ſi fieri poſsit, aeger levi motu deambulando ſe exerceat, ut flatus commoti facilius exeant, neque properandum nimis, ſuum enim terminum habet paroxiſmus, atque inutile, imo & noxium eſt, ipſum ante definitum tempus extinguere velle. Sinendus ergo aeger, ut eructationibus continuis & crepitu flatum commotum expellat. Quod ſi ſtrangulatu aut doloribus multùm urgeat, oleum amigdalarum dulcium, aut ſeminis lini recens extractum ex aqua egelida propinatum prodeſt, ſicut etiam lotiones crurum ex aqua calida, & frictiones. Extra acceſsiones diaeta ex humectantibus, modicè refrigerantibus, & boni ſucci alimentis, exercitatione item, & aetatis mutatione malum hoc leniri, & interdum tolli conſuevit. Quod ſi aegrotans à vino citra infirmitatem abſtineri poſsit, melius ſibi conſulet, quàm ipſum bibendo. Choleram ſiccam accuratiſsimè deſcripſit & explicavit Petrus Salius (b), mentionem de ea fecit Sydenhamius (c) atque tum demum obſervatione ſpeciali illuſtravit Bianchius (d).

VIII.

Eutychides ex cholera morbo in cruribus nervorum diſtenſionem ſen-

(a) Hipp. *lib. 2. de Morb. ſec. 3. verſ. 294.*

(b) Petrus Salius *de Affectib. partic. cap. 13. pag. 271. ſeq.*

(c) Sydenh. *Obſerv. Medic. ſec. 4. cap. 2. pag. 33.*

(d) Bianchi *Hiſtor. hepat. part. 3. de cholera morbo, hiſt. 7. tom. 1. pag. 619.*

Senſit cum inferna alvi dejectione. Bilem abundè ſaturatam multam, & vehementer rubram ad tres dies noctesque vomitione rejecit cum corporis imbecillitate, & incontinenti jactatione. Nihil verò continere poterat neque cibi, neque potionis quicquam. Urinae quoque multa ſuppreſsio, ejuſque tranſitus qui ad inferiora tendit. Vomitione fex mollis prodiit & deorſum quoque projecta eſt (a).

Hanc choleram ex Hippocrate adduco, ut tirones intelligant, quàm variè aegros hoc malum torquere ſoleat. Hac data occaſione notare oportet, hanc hiſtoriam meritò laudari à Franciſco de Sauvages; immeritò autem ab eo vituperari quam de viro Athenis cholera correpto paulò ante adduximus. Forte ſi Valleſii commentationes auctor hic, certè commendandus, ſeriò inſpexiſſet, aliter ſentiret. Neque praetermittendum hic eſt quod idem Sauvages de *choleræ indicae* curatione affert, cujus: „ Primum & praecipuum „ remedium eſt combuſtio pedis admoto veru ferreo è la„ tere ad tali partem magis calloſam, uſquequo aeger do„ lorem ſenſiſſe ſignificet, quo facto ſtatim veru tollitur, „ & paucis ictibus pars ambuſta impetitur calceo molli, eo „ fine ut phlyctenae praecaveantur (b).

CAPUT VII.

DE LIENTERIA.

Lienteria Graecis, Latinis laevitas inteſtinorum, eſt: *Celer ciborum & potuum per infernam alvum exitus, externa eorum facie parùm aut nihil immutata, ex defectu coctionis & digeſtionis.* Ventriculus & inteſtina duplicem exercent actionem in alimenta ingeſta, ſcilicèt coctionem, & digeſtionem. Per coctionem mutantur, ut accipiant primordia naturae humanae, cui per nutritionem adaptari debent: per digeſtionem, ſeu evaporatione, ſeu reſorptione, per univerſum

(a) Hipp. *lib. 5. Epidem. text. 78. pag. 1159. ex edit. Foeſii.*

(b) Sauvag. *Noſolog. Method. claſ. 9. §. XV. num. 7. pag. 131.*

ſum corpus diſtribuuntur (a). Cum verò actiones iſtae deficiunt, neque alimenta immutantur per coctionem, nec per digeſtionem diſtribuuntur, calore partium internarum corrupta, à natura tamquam corpora extranea pelluntur. Fit tamen aliquando, ut aliquam concoctionem ſuſcipientia, albeſcente colore tincta ejiciantur, quam affectionem aliqui *paſsionem caeliacam* appellare ſolent, quae reipſa à vera lienteria non differt niſi gradu tantùm, quo parùm aut nihil aſſumpta per os concoquuntur, priuſquam per infernam alvum exeant. Lienteria eſt ſymptoma in excretis: ſed cùm hoc ſymptomatis genus nuſquam fiat ſine actionibus laeſis (b), proinde ſcire expedit, in hoc morbo laeſam eſſe vim concoquendi, retinendi, & atrahendi, uſque adeo ut interdum abolitae, ſaepe plurimùm imminutae ſint harum facultatum functiones. Morbus hujus ſymptomatis generator eſt intemperies, quandoque organi vitium, & unitas ſoluta. Ex intemperie frigida & humida ventriculi & inteſtinorum coctionem & retentionem alimentorum impediente fit in ſenibus, puerulis, & delicatis hic morbus. Calida etiam & humida intemperies laxando & corrumpendo cibos potuſque, aeſtatis praeſertim tempore, hanc affectionem creat. Sed ea demùm intemperies, quae in vitiata partium ſubſtantia conſiſtit, potiſsima eſt horum ſymptomatum cauſa, ſi enim humor nativus ventriculi & inteſtinorum determinata corruptionis ſpecie alteretur, ſicut una corruptionis forma choleram, vomitum, cruditates creat, ita determinata ſed incomprehenſibili ſpecie infectus omnes fermè vires amittit. Ex organi vitio fit lienteria cùm ſcirrus, prava conformatio, abſceſus, aut id genus alia ventriculum occupant & inteſtina. Ex unitate ſoluta procedit hic morbus, cùm ulcuſcula, quae Graeci *aphtas* vocant, eas obſident partes. Pars in lienteria affecta ſunt ventriculus & inteſtina, quoniam hae alimentorum coctioni & diſtributioni à natura deſtinantur. Praeter differentias communes, proprias etiam ſuſcipit lien-

te-

(a) *Vide Phyſiolog. noſtr. tract.* 3. *prop.* 15. *&* 16.

(b) *Vide Patholog. noſtr. tract.* 3. *num.* 51.

teria: alia enim eſt vera, alia non vera. Haec fit cùm alimenta incocta citò per alvum ejiciuntur bilioſis ac putridis humoribus immixta, quae acutorum morborum ſoboles eſſe ſolet: illa eſt, qua alimenta pura & impermixta, eadem forma, qua ſumpta ſunt, celeriter evacuantur. Haec lienteria etſi diutius trahat, chronica enim eſſe conſuevit, tamen aequè pernicioſa eſt ac praecedens. Eſt & alia lienteriae differentia, cùm ſcilicèt fit per affectionem ventriculo & inteſtinis propriam, aut ipſis aliundè communicatam. Inter alia mala, quibus ventriculus affici ſolet, non parvi momenti eſt (idem intellige de inteſtinis) intemperies hectica ſeu in habitum verſa, ex qua graviſsimi morbi, ſed praeſertim lienteria, dyſenteria, diarrea, aliaque id genus incommoda ſaepe naſcuntur. Qui phlegmone ventriculi lento, aut quovis modo vitiata temperie per longum tempus laborant, tum demum in hecticam hujus partis intemperiem incidunt, quae lienteriam, aliaque memorata mala curſu temporis inducere ſolet. Medici de hac hectica intemperie parùm ſolliciti, mille fingunt hypotheſes ad horum malorum cauſas inveſtigandas, ſed à vero naturae ordine longiſsimè aberrant, ut benè adnotavit Avenzoar inter Arabas maximè commendandus, qui hecticam ventriculi intemperiem, multorum malorum ſegetem, ex vero deſcripſit & explicavit (a). Inter lientericas affectiones aliundè naſcentes, ut ex hepate, liene, imò & toto corpore, ea praecipuè conſideranda eſt, quae ob reſolutos nervos octavae conjugationis in ventriculum ingredientes incidit, his enim reſolutis, & coquendi & retinendi actio deficit, quod mali genus uſuvenire conſuevit iis, quibus caput fluxionibus obnoxium nervos octavi paris replet, & juxta varias propagines afficit, atque lienteria hinc inducitur, cùm reſolutio ad ventriculum ſpectat.

Inter occaſionales cauſas plethora non nimis frequenter, aliquando tamen lienteriam inducit, ſi enim haemorroides ſupprimantur in viris, aut menſtruus fluxus in mulieribus,

(a) Avenz. Theizir, *lib.* I. *tract.* I 5. *cap.* I. *pag.* 162.

variis modis ventriculum & inteſtina vitiari, in comperto eſt, indeque etiam varias affectiones morboſas naſci, obſervatione conſtat. Obſtructionem ſaepe lienteriam induxiſſe, communi auctorum obſervatione ſtatuitur, ſi enim ob aſsiduas cruditates, aut nimiam ingeſtorum copiam, ventriculi & inteſtinorum tunicae pituita repleantur & obducantur, neque coqui nec retineri alimenta poſſunt, undè lienteria oritur. Diatheſis omnium maximè neceſſaria eſt ad lienteriam inducendam, etenim ventriculus & inteſtina ſanguine repleta, aut obſtructa pluribus morbis ſuſcipiendis diſpoſita ſunt, ſed tum demùm lienteria praecellit, cùm harum partium humidum nativum certa & ineffabili diatheſi corruptum, ad concoquenda & retinenda alimenta impotens redditur, undè lienterica affectio ſuccedit. Inter cauſas efficientes aërem maximè conducere ad lienteriam, alioſque ventriculi, & inteſtinorum morbos producendos, ex Hippocrate diſcimus (a): atque communi obſervatione noſcimus, ſingulis annis, per aeſtatem, in pueris & debilibus lientericas fieri affectiones aut per ſe incipientes, aut ex longis dyſenteriis natas. Cibos autem & potus, aliaque ad diaetam pertinentia lienteriae generandae accommodata eſſe, nemo non intelligit. Sic à cibis acribus, ut caepis, alliis, pipere, capſico: à purgantibus metallicis & fermè venenatis, ut ex mercurio paratis: & vegetabilibus fortioribus, ut colocynthide, jalapa, ſcamonio, guttagamba, & id genus aliis, dyſenterias primùm, deinde lienterias ſubſequi, fideli obſervatione notum eſt. Praeterea multa ſaltatio à cibo, & medicamenta calefacientia poſt cibos aſſumpta, in iis praeſertim qui hectica ventriculi intemperie laborant, lienteriam facillimè generant. Sed ex frequenti equitatione poſt coenam lienteriam eſſe ſequutam, aliquando viſum eſt. Animi pathemata fortiora quaſvis ventriculi affectiones morboſas inducere, ex ipſa pathematum animi natura monſtravimus; at lienteriam tum potiſsimum creare notum eſt, cum animi angor, timor,

(a) Hipp. *lib.* 1. *Epid. ſec.* 2. *text.* 4. | Vide etiam Lomium *Medicinal. Obſervat. lib.* 2. *pag.* 157.
Vide Illuſtr. noſtr. ad hunc loc. pag. 48. |

mor, ira, aut aliae vehementes hujuſmodi affectiones diu multumque inter epulas animum, & cum ipſo corpus exagitant.

Etſi lienteria omnem aetatem, ſexum, & tempus conſequi ſoleat, tamen pueros & ſenes magis quàm juvenes, foeminas magis quàm viros, aeſtate potius quam hyeme adoritur. Solemne eſt, non tamen perpetuum, praecedere cruditates, ſtomachi ſubverſiones, debilitates. Sub ipſo morbi ingreſſu devorata alimenta & potus ſubitò, & veluti praecipiti caſu cum inteſtinorum murmure & languore per infernam alvum, parùm aut nihil immutata, ejiciuntur, quod mali genus lienteriam per omnia ſtadia indeſinenter comitatur. Interea aegri fructum alimenti non ſentiunt, indeque in malum corporis habitum incidunt: ardor hypocondriis ineſt, & in devorandis cibis labor, iis praeſertim quibus aphtae gulam & ventriculum obſident: adeſt praeterea ingens cibi faſtidium, ſitis, urina pauca, languor, ſomnus difficilis, jactatio. Si verò, morbo aegrum extenuante, ita frequens dejectio eſt, ut venter omnibus horis noctu & interdiu fluens ſomni & quietis tempora corrumpat: ſi cruda prorſus eſt dejectio, poſtmodum fiat nigra, vel inſtar bubuli ſtercoris levis & foetida: ſi cibi omnis adimitur cupiditas, creſcit autem bibendi deſiderium: ſi aegri os exulceratur, rubetque facies, & quaſi maculis quibuſdam colorum omnium diſtinguitur: ſi venter emollitus, ſordidus, vacuus, & rugoſus redditur: ſub his ſignis certa, ſed placida mors expectanda eſt. Quod ſi morbo diutius trahente ructus acidi prius non exiſtentes ſuperveniant: urinae poculis reſpondeant: corpus ſine febre & ſine pravis coloribus nutriri incipiat, ſanitatis ſpectandae indicia ſumuntur, quae multò certius advenit, ſi nullum amplius fiat in inteſtinis murmur, aut dejectiones flatus ſequantur. Solent etiam inveteratas lienterias alii morbi ſubſequi. Quicumque enim diu hoc vitio exercitus animalcula quaedam alvo reddit multis torſionibus atque doloribus, finitis his intumeſcit. Ex eodem morbo ſi lateris oritur dolor & ſpirandi difficultas, metus eſt ſequuturam tabem eſſe. Nec ſolùm alios ipſe adducit, ſed & ſaepe conſectatur morbos, etenim pulmo-

nis

nis vomicam, abdominis abſceſſum, pectoris aut renum ſuppurationem, dyſenteriam, certo aegrotantium exitio, interdum lienteria ſequi conſuevit. Etſi periculoſiſsima & fermè lethalis haec affectio ſit, tamen facilius à teneris depellitur aetatibus, praeſertim ſi moveri abundantius urina, & ali cibo corpus incipit. Difficillimus hominibus provectioribus eſt, maximè ſi longis torminibus inteſtinorum ſucceſsit.

Curatio lienteriae non uno modo inſtituenda, varia enim eſſe debet pro morbi diverſitate. Ergo cùm lienteria eſt morbi acuti ſuccedanea, ſi febris nimium acuta, viſcerum phlegmon, plethora, aut ſanguinis excretio ſuppreſſa venae ſectionem poſtulent, vireſque conſiſtant, ſanguis ex brachio extrahendus, ita tamen ut non multùm neque ſubitò evacuetur aeger, habenda enim eſt ratio languentis ſtomachi, ſanguinis effuſiones aegrè ferentis. Decoctum album Sydenhamii in hoc caſu confert. Conferunt etiam clyſteres ex kinae uncia, aqua communi diſſoluta, tepidè adminiſtrati, quibus, ſi fluxus urgeat, theriacae parùm addendum, atque identidem repetendi. Potiones ex confectione hyacinthorum, ſpiritu nitri dulcis, pulvere corallorum cum ſyrupo Boyleano, aut de ſymphito confectae, & pro re nata, iis, aut ſimilibus medicamentis compoſitae, ex uſu eſſe poſſunt. Sed electuarium peruvianum adſtringens Fulleri hic interdum prodeſſe, obſervatione noſcimus. Quod ſi lienteria pura fuerit & impermixta, cavendum omninò à venae ſectione, etenim: „ Si ſanguinis detractio cuipiam confert, alvus conſ-
„ tringenda eſt, poſtea ſanguis mittendus, (a) quia ſi detrac-
„ to ſanguine alvus fluxerit, vires diſſolvet (b). Si unquam alias locum habent hic verba Galeni: „ Sed neque (inquit)
„ ſi fuerit febris cum profluvio ventris, alia eſt opus eva-
„ cuatione, verùm haec ſola ſufficit, quamvis non ſit pro
„ multitudinis ratione: quicumque enim his plus adimere
„ fore neceſſarium putantes, aut ſanguinem mittere, aut
„ ventrem movere tentaverunt, in graviora pericula duxe-
„ runt.

(a) Hipp. *de Vict. rat. in acut. com.* 4. *text.* 116.

(b) Galen. *Com. in Hipp. de Vict. rat. in acut. text.* 116.

„ runt (a). At dubitationes omnes, circa venae ſectionem, praeſente alvi fluxu, proponit & acutè diſſolvit Heredia noſter in tractatu *de Febre putrida cum fluxu alvi implicita.* Neque purgatio in lienteria locum habet, etſi rhabarbarum, aut mirobalanos torrefactos quidam ex Arabum mente conſulant, parum enim aut nihil utilitatis, quin potius noxam inde ſequutam novimus. Non negamus tamen, rhabarbarum ſine ulla torrefactione interdum prodeſſe, cùm ſcilicèt putridi humores, aut obſtructiones multae purgationem inſtituendam manifeſtè ſuadent. Igitur incipiente lienteria decoctum amarum Batei, demptis purgantibus, prodeſt, quod medicamentum proſtat in Pharmacopea Matritenſi. Juſculum, pro uſu communi aegri, radice chinae debet alterari. Parùm aquae in hoc morbo bibendum: ea tamen, quae ſumenda eſt, radice tormentillae ſub forma decocti alteranda. Pillulae ex cortice peruviano & electuario diaſcordii Fracaſtorii utiles eſſe conſueverunt. Sunt qui aluminis uſum internum in hoc morbo commendant, nec omninò improbandum cenſemus. Sed tirones monemus, ut inter hujus medicamenti praeparationes, prout nobis obſervatione conſtat, praeferant quam Batimellus ſub nomine ſacchari aluminis tradit (b); vel ſi alumen aliis medicamentis miſcere opportunum judicent, ſchedulas Geofroi, politas quidem ſatiſque ſimplices, eligant (c). Sed longè praeſtantius quibuſvis aliis remediis eſt juſculum pulli gallinacei valentinum, prout deſcribitur in Pharmacopea Matritenſi. Hoc medicamentum primus in uſum adduxit Thomas Micò, Doctor Medicus Academiae Valentinae. Quaſi jure haereditario ipſum ſuſcepit ejus filius Chriſtophorus Micò, qui id, dum viveret, in ſecretis habuit, atque ſtupendas curationes omnium admiratione in lientericis perfecit. Inde factum, ut curioſitate allecti Medici, hinc inde divinando, ſuam quiſque traderet ſchedulam, pro vera Miconiana venditando. Neque ab hoc ſcrutinio, fortè nimis curioſo, ſe abſtinuit Marianus

(a) Galen. *de Arte curat. ad Glauc. lib.* 1. *cap.* 14.

(b) *Hujus remedii deſcriptio proſtat apud Mynſich in Mantiſa.*

(c) Geofroi *Mater. Medica*, *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 4. *pag.* 140.

nus Seguèr, publicus in eadem Academia Medicinae Professor, doctrina, eruditione non vulgari, candore ubique conspicuus. Hic in *schedula monitoria*, quam de eo jusculo edidit, pullum gallinaceum rosis siccis impletum, addito pulvere trochischorum Ramich, remedium Miconianum esse, sibi persuasum habuit. Inde factum, ut hujus viri auctoritate, variis per Europam Medicis sub eo nomine id remedium venditetur, ac demum inter Disputationes Pathologicas curis Halleri editas non infimum meruerit locum (a). Sed Seguerii medicamentum à vero jusculo Miconiano plurimùm distare, sera dies aperuit, etenim moriente Micone filio, haerede medicamenti, ipsum publicum fecit pro utilitate humani generis; & pro usu in lienterica passione in secunda Pharmacopeae Matritensis editione Senatus Medicorum sub titulo *jusculi pulli gallinacei valentini* promulgandum jussit. Per externa juvant in hoc morbo emplastrum de mica panis, cataplasmata ex vino rosis siccis alterato, addito pulvere restrictivo Magistrali, idque genus alia, passim apud omnes libros prostantia, quamquam candidè fatendum, morbum hunc adeò saevum & insuperabilem esse, ut caetera quaecumque remedia spernens, una aut altera vice, jusculo valentino unicè cesserit. At, curationem lienteriae ex resolutione nervorum ortae adduximus in Illustrationibus ad Hippocratis Epidemica (b).

APHORISMI.

I.

In diuturnis intestinorum laevitatibus ructus acidus superveniens, qui antea non erat, signum bonum (c).

Qui acidis ructibus nimium frequenter molestantur, ob cruditatum cumulum & ventriculi languorem in lienteriam non rarò incidunt; at si prius ructus acidus non adsit, sed lon-

(a) Haller *Disp. Pathol. disp.* 262. *tom.* 7. *pag.* 677.

(b) *Vide Illustr. nostr. ad Hipp. Epidem. sec.* 2. *text.* 4. *pag.* 49. *seq.*

(c) Hipp. *lib.* 6. *Aphor. sent.* 1.

longis lienteriis superveniat, bonum esse signum observatione constat. Gorterus, qui, in explicandis Hippocratis aphorismis, hypothesibus nimium addictus est, pro causa generali lienteriae ponit putredinem chronicam ex deficiente actione vitali natam, quam ex ructu acido corrigi aut tolli conjicit (a) ex eo, quod generatio acidi in corpore cum putredine conjungi non possit; sed melius rem tetigit Vanswietenius: „ Quia in lienteria (sunt ejus verba) assumpta omnia statim demittuntur, nec tamdiu moram patiuntur, ut „ acida possint fieri; ideo ructus acidi designant, intestina „, & ventriculum eo usque roborata esse, ut ingesta possint retineri diutius donec acescant (b).

II.

Quibus alvi sunt lientericae, eos hyeme sursum purgare malum est (c).

Monuit Hippocrates hyeme vitandum esse vomitorium adhuc in gracilibus & facilè vomentibus. Hic autem addit, id praeceptum maximè esse observandum in lientericis. Sunt homines alioquin benè valentes, qui facillimè in affectiones lientericas incidunt, etsi veram lienteriam rarò patiantur, nisi inveterato ventris fluxu ad eam deveniant. Hos vomitorium nocet; juvat tamen martialia medicamenta identidem sumere, exceptis senibus, quibus ferrum noxium esse ex vero pronuntiavit Fullerus (d). Inter martis praeparationes sal seu vitriolum martis ad hunc usum esse praeferendum, observatione cognovi. Praescribi autem potest vel in aqua coctum, prout in nostra materia medica adducitur, aut in forma pillularum sub dosi duorum granorum, admixta conserva rosarum aut alio simili medicamento pro Medici intentione.

(a) Gorter *Medic. Hipp. lib. 6. sent. 1. pag. 385.*

(b) Vansw. *Com. in Aphor. Boerh. §. 89. tom. 1. pag. 116.*

(c) Hipp. *lib. 4. Aphor. sent. 6.*

(d) Fuller. *Pharmac. Extemp. pulvis chalib. pag. 312.*

III.

A dyſenteria lienteria ſupervenit (a).

Ex dyſenteria tranſitum fieri periculoſiſsimum in lienteriam, quotidiana experientia confirmatum habemus. Ex nimio refrigerantium & diluentium medicamentorum uſu id accidiſſe, debilitata fortè ventriculi & inteſtinorum vi, non ſemel adnotavi.

IV.

Quos longa exercet lienteria cum feris, torminibus, & doloribus, cùm haec quieverint, intumeſcunt, &c. (b).

Familiare eſt lientericis non ventrem modò, ſed & articulos intumeſcere, quod peſsimum eſſe ſignum quivis agnoſcit conſiderans, ex partium debilitate, flatuum proventu, & defectu nutritionis ea mala procedere. Ex nimio & praepoſtero adſtringentium in hoc morbo uſu ſaepe haec ſymptomata ſupervenire obſervavi, his enim fit, ut fluxu per aliquod tempus cohibito, denuò cum ventris inflatione revertatur. Optimè Celſus: „ Cibos (inquit) potioneſque aſſu-
„ mat, quae alvum adſtringunt, & frigidis utatur perfuſio-
„ nibus. Oportet tamen proſpicere, nè, ſimul his omnibus
„ admotis, vitium contrarium per immodicas inflationes
„ oriatur. Paulatim ergo firmari inteſtina debebunt aliqui-
„ bus quotidie adjectis (c).

V.

Caeterùm quod dignum indicatione hic viſum eſt nobis: acrium rerum comeſtiones frequentiores eis aptae exiſtunt (d).

Non quoſvis cibos acres commendat hic Aetius, ſed eos tantùm, qui vires ſtomachi & inteſtinorum excitare, & pituitam corrigere apta nataque ſunt. Sic naſturtium aquaticum, raphanus, eruca, cochlearia cibis aut potibus immix-

---

(a) Hipp. *lib. 7. Aphor. ſent. 76.*

(b) Hipp. *in Coac. Duret. lib. 2. cap. 21. ſent. 2. pag. 336.*

(c) Celſ. *de Medic. lib. 4. cap. 16. pag. 226.*

(d) Aetius *Tetrabiblon 3. ſerm. 1. cap. 51. pag. 558.*

mixta, lientericis prodeſſe tenendum.

VI.

Rubefacientia (veſicas excitantia) *ex malagmatis & ſynapi eis commodè exiſtunt* (a).

Ad manus, crura, thoracemque, & ventrem applicata urentia medicamenta hic prodeſſe monemur. „ Ergo & ſuper „ pectus (inquit Celſus) ponatur ſynapi, exulceratoque cu„ te, malagma quod humorem evocet (b). Uſum curandi plures morbos, ſed praeſertim eos, qui ventriculum ex frigiditate infeſtant, per inuſtiones exterius factas, apud Ægyptios magno cum fructu vigere, teſtis eſt oculatiſsimus ſcriptor Proſper Alpinus (c).

VII.

Potiones quotquot ex zingibere & pipere & fructu ſilveſtris petroſelini conficiuntur: quod ex viperis feris conſtat maximam vim concretionis habet (d).

Poſtquam Aretaeus plantaginem, cidonia, omphacium, aliaque adſtringentia commendat, medicamentum ex viperis ad fluxum caeliacum ſedandum proponit. Fortè theriacam intellexit, quae nomen ex viperis ſumpſit. Non ſemel vidi aegros utriuſque ſexus, ſed praeſertim ſenes, caeliaco fluxu cum febricula laborare. Expertus novi, verum eſſe quod Mercatus noſter aſſeveranter affirmat, fluxum ſcilicèt caeliacum interdum longè periculoſiorem eſſe ipſa vera lienteria (e), contra quam vulgus Medicorum ſentit, qui ſpecie fictae coctionis fallitur, dum minus periculi credit alere fluxum caeliacum, quàm lientericum. Ergo humore ſatis evacuato, purgatiſque viſceribus, pillulas ex cortice peruviano & theriaca ſub hoc caſu prodeſſe vidimus. Juvat

(a) Aetius *loco citato.*

(b) Celſ. *de Medic. lib.* 4. *cap.* 16. *pag.*226.

(c) Alpin. *de Medic. Ægypt. lib.* 3. *cap.*12. *pag.*212.

(d) Aretaeus *de Curat. morb. diutur. lib.*2. *cap.*7. *pag.*133.

(e) Ludov. Mercat. *lib. conſultat. conſult.*12. *pag.*66. *Vide Medic. Vratisl. anno* 1702. *pag.*341.

hic colophonem imponere verbis Celſi, non modò ad lienteriam, ſed ad omnes ſimiles affectiones, congruentibus: „ Alterum quoque (inquit) quod aequè ad omnes ſimiles affectus pertinet, in hoc maximè ſervandum eſt, ut cum „ pleraque utilia inſuavia ſint, qualis eſt plantago, & rubi, & quidquid malicorio mixtum eſt, ea potiſsimùm „ ex his dentur quae maximè aeger volet. Deindè ſi omnia „ iſta faſtidiet, ad excitandam cibi cupiditatem interponatur aliquid minus utile ſed magis gratum. Exercitationes „ & fricationes huic quoque morbo neceſſariae ſunt, & cum „ his ſol, ignis, balneum, vomitus, ut Hippocrati viſum „ eſt, etiam albo veratro, *ſi caetera parùm proficiant*, evocatus (a).

CAPUT VIII.

DE DYSENTERIA.

DYſenteria ex vi vocis eſt inteſtinorum difficultas, contrarius ſanè affectus lienteriae, ſicut enim in hac inteſtina ſine retentione & conſtrictione facilè alimenta & humores dimittunt & elabi ſinunt, ex adverſo in illa corruptos atque vitiatos humores nonniſi difficulter atque cum doloribus, torminibus, & quadam veluti contorſione ejiciunt. Sub vetuſtiſsimis Medicis dyſenteria alvi fluxus cum doloribus & torminibus, quicumque demùm ii eſſent, ſignificabat, ut Hippocratem attentè legentibus planum eſt (b). Placuit tamen Galeno, dyſenteriae nomen cruentae tantùm dejectioni ex inteſtinorum ulcere naſcenti eſſe tribuendum. „ Mordax humor (inquit) cauſa eſt affectus in dyſenteria, ut„ potè qui ab initio & abſterget & abradit, dein tempo„ ris tractu ulcerat inteſtinum: quod ſi antea quam ulcus „ induxerit effluere deſinat, affectus ipſe nondum dyſente„ ria dicetur (c). Alexander Trallianus, Graecorum poſt Ga-

le-

(a) Celſ. *de Medic. lib.* 4. *cap.* 16. *pag.* 227.

(b) Vide Foeſ. *Oecon. verb.* δυσεντερια, *pag.* 172. *& ejuſd. com. in lib.* 2. *Epidem. Hipp. ſec.* 3. *pag.* 1034. *& ſec.* 6. *pag.* 1057. *&* Valleſ. *noſtr. Com. in lib.* 2. *Epid. Hipp. ſec.* 6. *text.* 31. *p.* 144.

(c) Gal. *de Locis affec. lib.* 1. *cap.* 2.

lenum Princeps, ex profeſſo, ut ajunt, agit de dyſenteria rheumatica, qua humores acres cum alimento expelluntur, primùm ſine inteſtinorum exulceratione, aliquando, diutius affectu perſeverante, cum eorum ulcere: ac licèt poſt ulcerata inteſtina propriè dyſenteriam appellari dicat, tamen dyſenteriam ante exulcerationem eum morbum ſimpliciter appellat (a). Circa noſtra tempora Sydenhamius: „ Quando-„ que (inquit) nè minimum quidem ſanguinis per omnem „ morbi decurſum iiſdem (mucoſis dejectionibus) admiſce-„ tur: quo non obſtante modò frequentes ſint dejectiones „ cum ventris torminibus & colluvie mucoſa, morbus haud „ minus rectè dyſenteria vocabitur, quam ſi unà manaret „ ſanguis (b). Eſt ergo dyſenteria: *Vitioſorum humorum & corruptorum per infernam alvum, ſaepè cum ſanguine, nonnumquam ſine ſanguine, excretio difficilis, doloribus, torminibus, & inteſtinorum torſione comitata.* Symptoma eſt in excretis, cum actione depravata facultatis expellentis, inteſtina enim in dyſenteria, ex irritatione, quae noxia ſunt, expellere nituntur. Morbus horum ſymptomatum generator eſt intemperies, modò ex manifeſtis qualitatibus, ut nimio calore urente & phlogiſtico, ſaepe ex vitiata partium ſubſtantia, cùm, certo modo corruptis atque vitiatis humoribus humidum nativum inteſtinorum conſtituentibus, natura, vi morbi excitata, ad expellenda noxia depravatè movetur. Sic aeſtatis tempore & autumni frequentes ſunt dyſenteriae (c), ſicut in iis etiam qui nimium calidis, & ſpirituoſis cibis ac potibus utuntur. Ex venenis aſſumptis, & ſpeciali humorum corruptione, in caſtris praecipuè, communes eſſe dyſenterias ob vitiatam in propria ſubſtantia inteſtinorum temperiem, communi obſervatione conſtat. Intemperiem corruptam in dyſenteria, interdum ab ipſis initiis, ſaepe ſub morbi progreſſu, ſequitur alius morbus in unitate ſoluta, ſcilicèt abraſio inteſtinorum eorumque exulceratio, quas cruentae dejectiones neceſſariò comitantur. Pars primò affecta ſunt inteſtina: per con-

(a) Trallian. *lib.* 8. *cap.* 6.
(b) Sydenham. *Obſerv. Medic. ſec.* 4. *cap.* 3. *pag.* 33.
(c) Hipp. *lib.* 3. *Aphor. ſent.* 11. & *ſent.* 22.

conſenſum patitur etiam ventriculus ſic, ut ciborum coctio eorumque digeſtio vitietur, unde fit, ut corruptis alimentis, ſimul cum pravis humoribus ejiciantur, atque adeò mirum non eſt, ſi dyſenterici perpetuò afficiantur languore & contabeſcentia. Differentiae communes morborum in benignos & malignos, acutos & chronicos, contagioſos, epidemicos, ſporadicos, quas in Pathologia longè diſcuſimus, omnes dyſenteriae conveniunt (a); ſed differentia inter alias notatu dignior ea eſt, qua dividitur in rubram & albam. Rubra eſt dum ſanguis corruptis humoribus mixtus fluit. Alba cùm alvi fluxus incruentus eſt, torminibus autem & doloribus inteſtinorum conjunctus. Occaſionem huic diviſioni dedit Hippocrates, qui dyſenteriam rubram ſupervenire ait, quibus tumores in ulceribus repentè diſſipantur (b). Praeter ea, quae prius hac de re adduximus, videre ſufficiat Williſium & Franciſcum de Sauvages, qui hujus differentiae mentionem faciunt (c).

Inter cauſas occaſionales plethora ad dyſenteriam producendam plurimum facit. Qui ſanguinis copiam in hypocondriis, inteſtinis, meſenterio congerunt, facilè in dyſenteriam labuntur, ut videre eſt in viris haemorroidum ſuppreſſionem, & in foeminis menſium retentionem patientibus, ſicut etiam in iis, qui plures cibos ſumentes, benèque concoquentes, imi ventris vaſa ſanguine replent. Obſtructio occaſionem maximam praebet dyſenteriae. Quibus alvus crudis humoribus, atra bile, congeſtionibus, tumoribus, abſceſsibus, aliiſque id genus incommodis laborat, huic morbo proclives eſſe conſuevere. Sed potiſsima occaſionalis cauſa dyſenteriae eſt diatheſis, ſpecialis ſcilicèt humorum inteſtinalium corruptio, quam ſatis propriè acrimoniam dyſentericam appellare licet. Qui alimentis acribus & venenoſis veſcuntur, ſcorbutici, ſtrumoſi, atra bile vexati, venerea labe infecti, arthritici: qui ob ſpecialem acrimoniam & humorum diatheſim ſpecialibus determinatiſque morbis ve-

(a) *Vide Patholog. noſtr. tract.* 1. *prop.* 3.

(b) Hipp. *lib.* 2. *Epid. ſec.* 3. *verſ.* 140.

(c) Willis *de Febrib. cap.* 17. *pag.* 198. Franciſcus de Sauvag. *claſ.* 9. §. *X. num.* 10. *pag.* 89.

vexantur, in dyſenteriam nullo negotio incidunt, cùm facile ſit, ut una acrimoniae & diatheſis ſpecies, ob partis affectae indolem novaſque additas cauſas, in aliam facilè mutetur, ſeu, quod frequentius accidit, utraque ſimul juncta moleſtet. Plethora & obſtructio in inteſtinis partibuſque proximis non modò ad dyſenteriam, ſed ad choleram, colicos dolores, pluresque alios infimi ventris morbos occaſionem praebent, ſed cùm his accedit diatheſis dyſenterica ob ſpeciale vitium humoribus inteſtinorum inductum, fit dyſenteria. Cùm verò in omni inflammatione tria haec concurrant plethora, obſtructio, diatheſis (a), indè fit, ut inflammatis quavis de cauſa inteſtinis frequenter dyſenteria ſequatur. Cauſa efficiens praecipua dyſenteriae eſt aër tum manifeſtis, cùm maximè occultis viribus inteſtina afficiens. Si hyems fuerit placida, clemens, pluvioſa, ver autem ſiccum & aquilonium, fieri dyſenterias, ex vero monet Hippocrates (b). Sed hunc morbum eſſe epidemicum, & aliquando endemicum, communi auctorum celebrium calculo comprobatur, inter quos praeter Hippocratem conſulere Sydenhamium Williſium & Uratislavienſes Medicos ſufficiat (c). Peſtilens interdum ita eſt dyſenteria, ut ſaeviſsimus, acutiſsimus, & prorſus indomabilis morbus reddatur, quod quibuſdam annorum conſtitutionibus ubique, ſed praeſertim in caſtris, obſervatur. Diaeta ſaepe dyſenterias excitat, nam cibi potuſque acres, calidi, ſpirituoſi: exercitia immodica: aeſtus magni, inſolationes: purgantia, vomitoria fortia, idque genus alia non rarò dyſenteriam accerſunt. At animi pathemata, iram, ſcandeſcentiam, moerorem diuturnum, deſperationem, aliaque hujuſmodi, ſicut caeteros morbos, ita dyſenteriam producere, communi obſervatione notum eſt

Etſi dyſenteria nullo non tempore invadat, tamen aeſtate & ſub autumni initia frequentius occurrit. Omnem aetatem

(a) *Vide Pathol. noſtr. tract. 2. prop. 8. num. 36. pag. 463.*

(b) Hipp. *lib. 3. Aphor. ſent. 12. Vide etiam ej. ſd. lib. ſent. 11. 16. & 22.*

(c) Hipp. *lib. 1. Epidem. ſec. 2. text. 4.* Sydenh. *Obſerv. Medic. ſec. 4. cap. 3.* Willis *de Febrib. cap. 10. §. XIV. pag. 121. Hiſtor. morb. Uratisl. anno 1696. pag. 66. ſeq.*

tem & ſexum moleſtat, ſed pueros magis quam ſenes, mares potius quam foeminas adoritur. Nonnumquam repentè nullis antecedentibus notis incipit, ſaepe eam praeveniunt membrorum laſitudo, cibi faſtidium, nauſea, implaciditas, cruditates, potus appetentia. Sub ipſis initiis rigor aut horror, quem aeſtus ſubindè ſequitur, deinde inteſtinorum tormina, torſiones, dolor: poſt haec proximè ſequitur alvi fluxus, quo humores pingues, craſsi, acres, modò cum ſanguine, modò ſine ſanguine excernuntur. Interea deſidendi cupiditas adeſt, excretoque humore fugax levamen ſibi aeger ſentire videtur, reddit enim citò deſidendi neceſsitas, praecedente ventris cruciatu & dolore, atque ipſam excretionem comitante inteſtinorum depreſione, crebris dejectionibus, & moleſtiſsimo viſcerum omnium quaſi deſcenſu. Sitis adeſt, potus tamen nec placidè nec ſuaviter accipitur. Febre carere interdum dyſentericos, interdum affici, quantum ſenſibus judicare licet, videas: ſed reipſa perpetuò febricitare, ex iis quae morbum comitantur conjicere oportet, omnes enim aeſtu circa viſcera cruciantur, atque febriculas occultas, fallaces, non emicantes, in viſceribus demerſas, ad corporis ſuperficiem parùm aut nihil accedentes habere, mihi ſemper viſum eſt. Pulſus parvi ſunt, obſcuri, ſubmerſi, languidi: lingua albeſcens mucilagine obſita, appetitus dejectus: vigiliae: praecordiorum anxietas cum exacerbatione circa veſperam: horrida quaedam refrigeratio ſedes praecedens, aeſtu ſubſequente: vomitus, aut inanes vomendi connatus. Creſcente morbo dejectiones frequentes, ut vix miſeri ſellam foricariam deſerere poſsint, interdum tamen fallaces induciae ad aliquot horas conceduntur. Febris manifeſta adeſt, levis tamen & ad tactum parva, ſed reipſa aeſtuans. Exterior corporis habitus facilè refrigeratur vel minima aura accedente, ſubinde tamen aeſtus intercurrit. Urina modò impensè rubet, modò turbida eſt, modò cruda, ſub hac tamen inconſtantia difficilè & cum labore excernitur. Dejectiones mucoſae ſunt, craſſae, bilioſae, alimento incocto & putrefacto immixtae, ſaepe ſanguine interſperſae, non rarò etiam ſtercore. Ventris tormina, torſiones, dolores nimium moleſtant, ut aliquando animi deliquium ſequatur, non aequè ta-

tamen unum ſemper locum occupant, ſed modò ſupra, modò infra umbilicum ſentiuntur, prout mali fomes ſuperiora & tenuia inteſtina, aut inferiora & craſſa occupat. Interea aeger deficiente coctione & digeſtione alimentorum conſumitur: membra reſolvuntur & languent: lingua exſiccatur, atque oris interiora phlogoſi & excoriatione affliguntur. Faciei color mutatur, & ex vivido triſtis evadit: vigilia tenax: cibi faſtidium ſummum cum maximo bibendi deſiderio. Morbo ad ſummum apicem evecto, pulſus debiles, obſcuriſsimi: virium conſumptio maxima: lingua ſicca: febris interiora urens cum externo algore: dolores: tormina vehementiſsima: interdum ſingultus, & convulſiones, & crebra animi deliquia: pectoris oppreſsio: dejectiones ſanioſae, cruentae, craſſae, mucoſae, carunculis & ramentis interſperſae: ſummus languor: impotentia ſurgendi è lecto: ad ea, quae offeruntur, ſuſcipienda, prava diſpoſitio. Dyſenteria in mortem, ſalutem, aut alios morbos terminatur. Si praedictis malis in ſtatu morbi accedat ſanguinis ſinceri, multa copia excreti, cum labore profuſio, aut dejectiones nigrae ſint, foetidae, ramentoſae, ut inteſtinorum ulcus malè moratum monſtrent, interimque labia livent, oculi cavi ſint, omniumque fermè actionum impotentia, haec omnia mors inevitabilis ſequitur. Quod ſi morbo in ſtatu conſtituto dejectiones ſenſim ad meliora mutentur cum conferentia aegri & virium tolerantia, itemque ſitis non urgeat, nec tormina nimium moleſtent, atque aegrotans ad ea, quae offeruntur, benè paratus ſit, in ſalutem terminare ſpes eſt. Tranſit dyſenteria in gangrenam inevitabili fato, quoties dolores & tormina, vi mali permanente, ſub pravis dejectionibus, viriumque exolutione deficiunt. At tranſitus in lienteriam, quod etiam infoelici effectu fit, contingit, cùm dejectiones, morbo minimè imminuto neque aegro levato, aqueae ſunt, parùm aut nihil dolentes, crudae, & incruentae, ſatis tamen copioſae, & frequentia moleſtae. In teneſmum bonis aegri rebus terminatur dyſenteria, quoties malum ſeu ſerpendo, ſeu metaſtaſi ex inteſtinis ſuperioribus in finem recti decumbit. Remanet tunc deſidendi cupiditas, ſed dolor in ano eſt. Excernitur quidem mucoſum pituita plenum, & mo-

dicè cruentum, ſed hujuſmodi dejectionibus interponitur excrementum, quod ex cibo probè coactum figuratumque eſt. Febris mitior, aut certè nulla, reditque ſenſim appetitus. Hoc mali genus, etiam ſine dyſenteria praecedente, his ſymptomatibus ingruere ſolet, ſed neque per ſe occidit, nec difficillimè tollitur, niſi negligatur: nam ſi vetus nimium fiat, ulcus relinquere ſolet ſordidum ac purulentum, idque in fiſtulam vertitur, quae aegerrimè remediis tollitur. Omnis dyſenteria periculoſa eſt, at interdum acuta, ſaepe chronica eſſe conſuevit. Si firmus homo eſt, rectèque curatur, reddi priſtinae valetudini poteſt; ſi verò invalidus aliquis eſt ac vehementer morbo extenuatur, ipſumque inteſtinum profundo vetereque ulcere labefactatur, ſcire licet, medicinam omnem inanem eſſe. Neque ignorare oportet, foeminas pueroſque lactentes facilius ex hoc morbo, quam viros & ſenes evadere.

In curatione dyſenteriae apud optimos quoſque auctores multa eſt varietas, quidam enim ex hypotheſi methodum fingunt, alii obſervatione ducti rem dirigunt, ut pro ſua quiſque obſervandi ratione curationis modum diſponat. Nos verò ex omnibus, quos videre licuit, eligentes quod optimum viſum eſt, quodque obſervatione utile eſſe comperimus, dyſenteriae curationem ſic inſtituendam cenſemus. Igitur Medici intentio in dyſenteria tractanda ita dirigi debet, ut, minimè cohibendo materiae corruptae excretionem, vires ſuſtineat, ut morbo ferendo pares ſint: itemque humores corrigat, ut inteſtinorum ulcerationem impediat. Ergo juſculum parari debet ex pullo gallinaceo & carne vitulina, addita borragine, pro communi aegroti cibo. Potus ſit aqua ſimplex, liquore ex nitro & marte, ſeu tinctura, ut vocant, elaſtica, alterata, duae enim drachmae hujus liquoris pro octo libris aquae fontanae ſufficiunt. Gelatina cornu cervi pro ſiti & calore temperandis identidem propinari poteſt. Sub ipſis initiis dyſenteriae vena brachii aperienda, multum tamen ſanguinis non extrahendum, nam praeterquamquod ventriculus & inteſtina multum ſanguinem ſine damno extrahi non patiuntur, hic morbus de eorum genere eſt, qui vires nimium debilitant. Purgatio in dyſenteria no-

xia eſt, ducit enim humores per partem affectam, eamque afflictam ulterius affligit. Accedit, quod purgantia omnia, quantumvis levia, ventriculo & inteſtinis infeſta ſunt. Rhabarbarum torrefactum, quod ex conſuetudine potius quàm utilitatis ratione communiter praeſcribitur, humores incendit parteſque irritat, etenim uſtione, ut benè advertit Duretus (a), acre redditur. Idem intellige de mirobalanis torrefactis, nullum enim commodum ex iis medicamentis, quamquam communi uſu receptis, in hoc morbo obſervavi. Emeticum, incipiente dyſenteria, poſt venae ſectionem, etſi non perpetuò praeſcribi debeat, ſaepe tamen proficere, experientia compertum, virides namque, bilioſos humores, pituitamque corruptam ad inteſtina fluentes cum fructu revellit, & evacuat. Igitur ipecacuanam ad drachmam ſemiſem cum pauco juſculo praeſcriptam bonos interdum in dyſenteria produxiſſe effectus, obſervatum eſt, ut inde radix dyſenterica per excellentiam appellata ſit. Fatemur tamen ingenuè, vires emeticas hujus radicis notiſsimas eſſe, ſed non aequè notam eſſe vim directè dyſenterias oppugnandi. Inter medicamenta interius praeſcribenda, caeteris praeferendum cenſeo lac caprinum decocto herbarum vulnerariarum mixtum, cùm temperandi, & ulcera corrigendi aut impediendi, facultates habeat. Quod ſi ſtomachus lac recuſet, decoctum album ex pulvere cornu cervi & mica panis albiſsimi, more Sydenhamii, aut ex praeſcriptione Pharmacopeae Matritenſis, tutò propinari poteſt. Herbae vulnerariae plures ſunt, hic tamen prae caeteris conferunt vincapervinca, hypericum, ſanicula, ſcordium, aliaeque hujuſmodi, quas omnes longè recenſet & explicat Lemerius (b). Clyſteres ſub initiis & augmento dyſenteriae applicare, & identidem repetere expedit. Qui fiunt ex decocto oſsium capitis vervecis, additis herbis vulnerariis, optimi ſunt. Congruunt etiam ex lacte, vitellis ovorum, & rodoſacharo ſeu ſyrupo roſarum viridium. Sed morbo jam ad ſtatum acce-

(a) Duret. *in Hiller. de Morb. intern. lib. 1. cap. 43. pag. 462.*

(b) Lemeri *Trait. univerſ. des drogues ſimples, verbo ſaltrank, pag. 339.*

dente, ex kinakinae aqua communi diſſoluta, pauculo diaſcordii immixto, componendi ſunt, etenim gangrenae, febri, & ulcerationibus opponuntur. Pro hoc morbo plura laudantur ſpecifica, ut pulvis unicornu, ſanguinis draconis: priapus cervi, hepar ſerpentis, cortex caſcarillae, caput mortuum vitrioli, album graecum ſeu ſtercus canis, erinaceorum teſtae uſtae, pulvis è turture, ſtercoris aſinini ſuccus, aliaque id genus plurima, in libris Medicorum paſsim obvia, quae nec fidem merentur ſolidis obſervationibus fundatam, nec effectus edunt laudibus & promiſsis reſpondentes, ea enim ſpes hominum primùm inflant, deinde deſtituunt (a). Opiata nullibi liberaliùs quàm in hoc morbo praeſcribit Sydenhamius, nec inficias imus ſub moderata doſi interdum prodeſſe, ſed cautè cum iis agendum docet experientia, quippe fluxum ad tempus cohibent, qui poſtmodum majori impetu revertitur. Adſtringentia in hoc mali genere noxia ſunt, inteſtina enim vi morbi conſtricta magis comprimunt, materiamque intus occludendo, multa damna inducunt. Ergo ſub finem morbi levia tantùm ſubadſtringentia ad partes firmandas conſulimus, atque inter caetera *electuarium peruvianum adſtringens* Fulleri commendamus.

APHORISMI.

I.

Dyſenteria, ſi ab atra bile inceperit, laethalis (b).

Non modò cùm incipit, ſed quae morbi progreſſu accedit atra bilis dyſenteriam laethalem reddit: „ Quin etiam tor-
„ mina (inquit Celſus) ab atra bile orſa, mortifera ſunt:
„ aut ſi ſub his, extenuato jam corpore, ſubitò nigra al-
„ vus profluxit (c). Sed audiendus Galenus, qui ſic loquitur:
„ Ab illa, quae à quibuſdam pallida, ab aliis bilis flava no-
„ minatur, maxima ex parte incipit inteſtinorum difficultas,
„ abra-

(a) *Vide Medic. Vratisl. hiſt. morb. anno 1699. pag. 88.*

(b) Hipp. *lib. 4. Aphor. ſent. 24.*

(c) Celſ. *de Med. lib. 2. cap. 8. pag. 74.*

„ abraſis prius in ſumma parte propter humorum acrimo-
„ niam inteſtinis, poſtea verò exeſis adeò, ut exulcerentur. Hanc
„ igitur inteſtinorum difficultatem ſaepè ſanavimus: quae ve-
„ rò ab atra bile fit, inſanabilis eſt prorſus, cùm nihil diffe-
„ rat à cancro ulcerato (a).

II.

Dyſenteria laboranti, ſi veluti carunculae exeant, laethale eſt (b).

„ In difficultatibus inteſtinorum (inquit Galenus), cùm
„ adhuc conſtituuntur, quaedam corpora pinguia excernun-
„ tur: poſt haec autem, niſi prius deſierint, quaedam ra-
„ menta inteſtinorum, ablata ipſorum ſuperficie interiore, quae
„ membranoſa exiſtit & denſa, illi, quae cutem exterius con-
„ tegit, cuticulae appellatae, proportionalis. Poſt haec autem
„ aliquid ex ipſa abraditur ſubſtantia inteſtinorum, in quo tem-
„ pore non adhuc fieri difficultatem inteſtinorum, ſed jam fac-
„ tam atque completam dicimus eſſe. Quando igitur partes
„ adeò magnae inteſtinorum excernuntur in difficultate inteſti-
„ norum, ut poſsimus eas carnes nominare, laethalem ait eſſe
„ morbum, cùm neque caro concreſcere, neque cicatrix obduci
„ in tali poſsit exulceratione (c).

III.

Ubi ſanguis & ſtrigmenta per alvum rejecta fuerint, ſeptimo die deſinunt, aut decimoquarto, aut vigeſimo, aut quadrageſimo, aut intra hoc tempus: hujuſmodi dejectiones etiam eos, qui ante fuerunt in corporibus, morbos tollunt, inveteratos quidem ſpatio temporis majore, recentes verò etiam paucis diebus levare poſſunt (d).

Cùm Hippocrates, paulo ante, peſsima dyſenteriae ſymptomata enarraſſet, iiſque tantùm ſpem eſſe recuperandae ſalutis affirmaſſet, quibus graviſsimorum ſymptomatum pauciſsima abeſſent, tunc demùm, inquit, tormina, quae benig-

(a) Gal. *com.* 4. *in Aphor. Hipp. ſent.* 24.
(b) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. ſent.* 26.
(c) Gal. *com.* 4. *in Aphor. Hipp. ſent.* 26.
(d) Hipp. *Praedict. lib.* 2. *text.* 121.

nignè, ſuaviter, & ſine magnis ſymptomatibus ſeptimo die deſinunt, aut decimoquarto, aut quovis modo intra quadrageſimum, corpus ab aliis morbis liberare, quod utique experientia confirmatum habemus: lienoſis enim prodeſſe dyſenteriam, & inſanientibus, ipſe Hippocrates ex vero notavit (a).

IV.

In longis dyſenteriis appetitus proſtratus, malum, & cum febre, pejus (b).

In omni dyſenteria ſeu acuta, ſeu chronica, dum incipit, deficit appetitus, ſed in longis minùs, fortè quia malum inferiora & craſſa inteſtina occupans, ſuperiores partes non multùm offendit; at ſi appetitus, procedente morbo, nimium langueat, indicium eſt, ventriculum labefactari, nihil enim vetat, ut quemadmodum bono omine dyſenteria in inteſtinis tenuibus incipiens, poſtmodum ad craſſa ſerpendo deſcendens, in teneſmum abeat & terminetur, ex adverſo, quae in craſsis inteſtinis incipit, ad ſuperiora tendat, & ventriculum atque praecordia inficiat, quod magis confirmatur, cùm cibi faſtidio febris acceſerit, ea enim ex viſcerum phlogoſi aut corruptione naſcitur. Diſcimus hinc, Medici ſtudium in dyſenteriis longis in id incumbere debere, ut malum à ſuperioribus partibus avertat, quod fiet: adſtringentia omnia vitando, etiam per clyſteres, & opiata: & calida medicamenta, & nimiam remediorum farraginem. Proſunt crurum frictiones & lavationes, & ea omnia, quae ad infernas partes vim morbi adducunt.

V.

Dyſenteria, quae intempeſtivè ſiſtitur, abſceſſum facit, vel in lateribus atque viſceribus, vel in articulis. An bilioſa quidem in articulis? Cruenta autem in lateribus atque viſceribus? (c)

Mi-

(a) Hipp. *lib. 6. Aphor. ſent.* 48. & *ſent.* 43. & *Coac. apud Duret. lib. 2. cap.* 20. *ſent.* 5. *pag.* 332.

(b) Hipp. *lib. 6. Aphor. ſent.* 3.

(c) Hipp. *in Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 20. *ſent.* 1. *pag.* 327.

Mirabilis partium ventris cum articulis conſenſus, pluribus naturae in morbis operationibus confirmatus, in hac ſententia evidenter monſtratur, ut inde ſciamus, numquam improvidè adſtringentibus fortioribus dyſenteriam ſupprimendam. Monuit alibi Hippocrates, tumores ulcerum in antica corporis parte repentè diſparentes, ſi rubri fuerint, dyſenteriam generare (a). Videmus hic, dyſenteriam, ſupervenientem tumorum occultatione, non eſſe ſupprimendam, ſed ſinendam, ut humor noxius fluat, quod benè advertant illi, qui dum novum aliquod ſymptoma apparet, nihil non intentant, neque ullum eſt medicamenti genus, quod ad id tollendum, officiosè nimis, in uſum non adducant. Confirmandus ergo aeger accommodato victu, ut natura mutationem, fortè utilem, ſuſtinere poſsit.

VI.

Dyſenteria ſedata abſceſſum, aut tumorem aliquem faciet, ſi non ad febres, aut ſudores, & urinas craſſas & albas ac valdè perſpicuas, aut ad tertianas, aut ad varicem, aut ad teſtem, aut ad crura, aut ad coxam dolor decubuerit (b).

Ergo ſi, ſedata intempeſtivè dyſenteria, quilibet ex morbis in aphoriſmo propoſitis appareat, ſignum eſt, humorem dyſentericum, naturae vi, ſub alia forma expelli, ut indè agnoſcamus, non ſtatim adverſus quemlibet morbum eſſe medicamentorum copia pugnandum, ſed placidè naturam juvandam, ut ſub ea forma, quae ſibi congruens eſt, malum expellat. Febres acutas interdum per dyſenteriam ſupervenientem commodè fugari, ex Hippocrate monuit Sydenhamius (c). Piaculum ergo eſſet, criticam dyſenteriam medicamentorum apparatu ſiſtere, naturamque à ſalubri opere deturbare.

(a) Hipp. *lib. 5. Aphor. ſent. 65.*

(b) Hipp. *de Vict. rat. in acut. ſec. 4. verſ. 276.*

(c) Sydenh. *Obſerv. Medic. ſec. 5. cap. 1. pag. 43. & cap. 2. pag. 44. Vide etiam Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Epidem. conſt. 3. num. 4. pag. 106.*

VII.

Dyſentericis vomitio bilioſa initio, grave malum (a).

Nulla fermè eſt dyſenteria, in qua inteſtina phlogoſi non afficiantur. Sub eo ſtatu in initiis vomere malum eſt, quia magnam naturae irritationem ſignificat. Ex accidenti, ut ajunt, aliquando vomitus dyſenteria incipiente congruere poteſt, cùm ſcilicèt bilioſi humores in prima regione magna copia turgent, atque naturae vi per os expelluntur, quod benè notent tirones, ut etſi cauti ſint in excitandis vomitibus, ut par eſt, interdum ſub magna primae regionis cacochimia vomitorio utantur. Ipecacuanam multi laudant, alii vituperant. Geofrojus, magni nominis vir, hiſtoriam hujus radicis longè proponit, eamque miris extollit laudibus. Ex adverſo alii, notante Junkero, quod votis non ſemper reſpondeat ipecacuanae uſus, conqueruntur (b), in quam ſententiam pedibus ivit Lieuthaudus (c), nec longè abfuit de Juſieu (d). Hujus antidyſentericae radicis loco ſucceſsit, ſub hujus ſaeculi initia, cortex ſimaroubae, cui Antonius de Juſieu, Botanices in Horto Regio Pariſienſi Profeſſor & Demonſtrator, famam obſervationibus conciliavit, atque ejus vires poſtmodum Academiae Scientiarum expoſuit (e). At non nimium his rebus adhuc fidendum, ſed ulterioribus obſervationibus confirmari debere decantatas ſimaroubae in dyſenteria vires, prudenter conſulimus (f), ut enim optimè notat ſagaciſsimus Academiae Pariſienſis Hiſtoriographus Fontenellius: „ Remedium ſpecificum temporis pro-
„ greſſu interdùm injuſtè negligitur, quoniam praeproperè
„ nimis laudibus, tamquam infallibile, ſine ulla diſtinctione
„ fuit praedicatum... Quot accidentium (proſequitur vir
„ ſummus) & exterarum rerum varietates concurrere debent ad

(a) Hipp. *in Coac. Duret. lib. 2. cap. 20. ſent. 2. pag. 330.*

(b) Junker. *Conſpec. Medic. pract. tab. 77. num. 28. pag. 642.*

(c) Lieuth. *Synop. univerſ. Prax. medicae, part. 1. ſec. 4. pag. 222.*

(d) *Memoir. de la Academ. Rojal des Scien. anno 1729. pag. 32.*

(e) *Vide Academ. Reg. Scient. Paris. anno 1729. pag. 32.*

(f) Vide Teſſari *Materia Medic. Regnum vegetab. num. 535. pag. 352.*

ad integrum rei utilis, vel minimae, auctoramentum! (a). Idem dicendum de Junkeri obſervatione, dum inquit: „ Dyſente-„ ria hoc peculiare habet, ut moderatus potus generoſi vi-„ ni non ſolùm non noceat, ſed plerumque etiam, licèt „ febris conſpiret, bonum effectum praeſtare obſervetur (b).

VIII.

Numquam ab omni febre immunis eſt benignior haec dyſenteria: quo vehementius autem febris concurſat, eò deterior materia peccans, & ferocius eſt malum. Ludit autem interdum ſchema modò quotidianae, modò tertianae intermittentis (c).

Febrem intermittentem cum fluxu dyſenterico, ſubinde per periodos repetentem, adducit Tortus (d). Hanc febrem verè pernicioſam cortice peruviano cum electuario diaſcordii in pillulas redacto, & ad ſufficientem doſim repetito, extingui vidimus.

IX.

Tum qui diuturnis, tum qui acutis tentabantur morbis ex ventris vitio omnes ferè periere, omnes namque venter pariter ſuſtulit (e).

Dyſenteriam poſt febres fieri, & cum ipſis incipere, jàm vidimus. At epidemicè ita graſſari ſolet, ut in caſtris, atque alibi paſsim, certis annorum conſtitutionibus familiariſsimum ſit malum. Hinc Medici officium eſt, vigente epidemica conſtitutione, ſeriò animadvertere, qua via, quibuſve modis natura morbum depellit; modò enim ſudoribus, modò urinarum copia, interdum translatione materiae ad articulos, quandoque morbo converſo in teneſmum ſolvi ſolet, ſic enim natura juxta varium operandi ordinem diverſis planè modis juvanda eſt. Endemica etiam eſſe ſolet dy-

(a) *Hiſtoir. de la Academ. Royal des Scien. añ* 1729.

(b) Junker. *Conſp. Medic. Pract. tab.* 77. §. 8. *num.* 6. *pag.* 640.

(c) Junker. *Conſpect. Medic. Pract. tab.* 77. §. III. *num.* 9. *pag.* 635.

(d) Franciſ. Torti *Therapeuticae ſpecial. de Febrib. lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 275.

(e) Hipp. *lib.* 3. *Epidem. ſec.* 2. *text.* 16.

ſenteria, ut Lutetiae Pariſiorum contingit, ibi enim advenae ob climatis rationem ſaepe benigna dyſenteria tentantur (a).

X.

Teneſmus ſit ex iisdem à quibus & dyſenteria, verùm debilior, & brevis, & non laethalis (b).

Mali labes in teneſmo reſidet in inteſtino recto, quod inflammatur interdum ab humoribus acribus, à cerebro & ſpinali medulla, aut à toto corpore fluentibus (c): aliquando à repletione haemorroidum: non rarò ab ſtercore ibi indurato. Inteſtinum lenire clyſteribus ex lacte cum vitellis ovorum, aut ſufumigiis ex decocto malvarum & florum ſambuci per podicem in ſella foricaria receptis: aut partium inferiorum frictionibus & lavationibus materiam aliò divertere & reſolvere, metam curationis abſolvit; neque enim in hoc malo avertendo nimiùm properandum, quoniam ipſius naturae vi, temporis progreſſu, ſaepè cum fructu ſolvitur. Id neceſſariò notandum, dyſenteriam & teneſmum morbos eſſe contagioſos, atque ipſis, pluſquàm omnia remedia, prodeſſe, locum & aerem mutare, etenim aër hominum concurſu vitiatus, aut aegrorum comercio & conſuetudine, ut in xenodochiis, hos morbos, ſicut & omnes alios alvi fluxus ita exaſperat, ut pauciſsimi ex iis evadant. Id omittendum non eſt, aliquando teneſmum, ubi negligitur, in dyſenteriam mutari, aliquando in dolorem colico-iliacum. Quare iis, quae proximè diximus, bona diaeta, non modò ex cibo & potu, ſed ex ſomno, quiete, aliiſque rebus, non naturalibus dictis, adjungenda eſt, nè ex levi malo periculum ſuboriatur. Febris in teneſmo, ſi diaria ſit, nihil mali portendit, at magis vehemens inteſtinum nimium inflammatum ſupponit, atque ſub eo caſu venaeſectio utilis eſſe poteſt. Oleum amigdalarum dulcium ad emollienda excrementa utile eſſe conſuevit. De rhabarbaro torrefacto

hic

(a) Vide Hoffm. *Special. morb. Pathol. pars* 3 *ſec.* 2. *cap.* 7. §. *IV. p.* 152. De Sauvag. *claſ.* 9. §. *X. num.* 111. *pag.* 86.

(b) Hipp. *de Affect. tex.* 27.

(c) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Epidem. ſec.* 2. *text.* 4. *pag.* 53.

hic idem, quod in dyſenteria diximus, ſentiendum. Sed meminiſſe oportet, ſtercore detento & febriculam & teneſmum oriri poſſe, ut veriſimum ſit Celſi effatum: „ Ubi „ pluribus diebus non deſcendit alvus, docet, aut ſubitam „ dejectionem, aut febriculam inſtare (a).

CAPUT IX.

DE DIARROEA.

OMnis alvi fluxus commodè ad dyſenteriam & diarrhoeam reducitur. Quid ſit dyſenteria, jàm vidimus. Ergo diarrhoea Graecis, latinè ventris fluxus, eſt: *Humorum quorumvis per infernam alvum excretio ſine torminibus, cruciatibus, aut ulcere inteſtinorum.* Symptoma eſt in excretis. Actio laeſa, hujus ſymptomatis comes, eſt interdum functio imminuta facultatis retentricis ex debilitate, ſaepe actio depravata expultricis ex irritatione. Morbus hujus ſymptomatis generator frequentiſsimus eſt intemperies, aliquando etiam ſoluta unitas. Intemperies, non ea modò quae in qualitatibus, ſed ea pariter quae in vitiata partium ſubſtantia conſiſtit, diarrhoeam producit. Sic inteſtina immodicè calefacta, frigefacta, laxata, humectata, exſiccata, tenſa, indurata, aut alio quovis qualitatum genere affecta, in diarrhoeam facilè incidunt, cum his aut retinendi facultas debilitatur, aut irritatur vis expellendi. Sed longè frequentius diarrhoea ſupervenit corruptae aut vitiatae inteſtinorum ſubſtantiae: undè fit, ut omnis morbus, inteſtinorum intimam compagem nimium alterans, diarrhoeam paratus ſit inducere. Quod ſi quovis modo rumpantur, aut aperiantur vaſcula humores inteſtinorum continentia, tunc ex unitate ſoluta ſponte fluunt, & diarrhoeam efficiunt. Pars affecta ſunt inteſtina, etſi ex quavis corporis particula, ſeu principe, ſeu non principe, humores ad ipſa fluere poſsint, ut per alvum excernantur. Differentiae hujus morbi plures ſunt, & ſatis notabiles. Sic

(a) Celſ. *de Medic. lib. 2. cap. 7. pag. 59.*

diarrhoea alia eſt ſincera, cùm ſcilicèt humores puri & impermixti ejiciuntur: alia non ſincera, cùm plura humorum genera ſimul mixta fluunt. Eſt etiam diarrhoea critica, aut ſymptomatica. Critica eſt, quae, morbo ſimul cum humoribus cocto, bonis aegri rebus, in criſi accedit: ſymptomatica eſt, quae, morbis incipientibus, aut ipſis jàm progreſsis nec tamen ad maturitatem devenientibus, ſupervenit. Sed praecipua diarrhoeae differentia ad uſum praxeos ea eſt, quae deſumitur ex partibus corporis unde manat humor, quae ſpecies rehumatis eſt, ſeu fluxus aliunde ad inteſtina venientis. Sic pthiſici, ex pulmone: catharroſi, ex cerebro: leucophlegmatici, ex habitu corporis: hepatici, ex jecore: lienoſi, ex liene (ita omnes corporis partes percurrito) malè affectis, vitioſoſque humores ad inteſtina mittentibus, diarrhoea afficiuntur: unde veteres diarrhoeam non malè aliam cerebralem, aliam pulmonalem, & ſic de reliquis, appellare ſolebant. Nec omittenda eſt diarrhoeae diviſio in humoralem & ſanguineam. Humoralis eſt, in qua humores: ſanguinea, in qua ſanguis aut ſolus, aut caeteris humoribus mixtus excernitur: ſolemne namque eſt, ſanguinem ſine tormínibus, cruciatibus, ulcere, aut phlegmone inteſtinorum per infernam alvum excerni, quod non ad dyſenteriam ſed propriè ad diarrhoeam pertinere videtur. Propoſitas differentias alvi fluxus Hippocrates accuratè & utiliter perſequitur in prognoſticis, eaſque omnes, & fortè alias communes, ex his, quae nos in ejus Illuſtrationibus, & in Pathologia tradimus, quivis intelligere poteſt (a).

Inter cauſas occaſionales, plethoram tum partium ventris, tum totius corporis, diarrhoeam ſanguineam inducere poſſe, nemo non intelligit; at alia diarrhoeae genera interdum inducere in iis, qui conſuetas ſanguinis evacuationes ſuppreſſas habent, aut quibus ſub pleno corpore inteſtina debilia ſunt, obſervatione agnoſcimus. Obſtructio frequens eſt diarrhoeae occaſio, ipſa namque praeſente alimenta nec pro-

(a) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Progn. ſect. 2. tex. 13. ad 23. pag. 94. ſeq. & Pathol. noſtr. tract. 1. prop. 3.*

probè concoquuntur, nec digeruntur, ſimulque humores inteſtinorum proprii facilè in corruptionem abeunt, unde diarrhoea ſequitur. Hinc qui ſcirrho, duritie, aut nimia partium ventris repletione laborant, frequenter diarrhoea inemmendabili pereunt. Propter eandem cauſam pueri, & homines ingluviei, & crapulae dediti, huic malo facillimè ſubjiciuntur. Sed omnium maximè ad diarrhoeam generandam diſponit diatheſis, certò enim modo vitiata inteſtinorum compage, aut ob debilitatem, ut in ſenibus, foeminis à morbo convaleſcentibus, ataxia ſpirituum laborantibus, aut ob irritationem, ut in ſcorbuticis, hepaticis, quovis modo febrientibus, vel longo morbo confectis, aliiſque id genus affectionibus, ex prava inteſtinorum diatheſi, diarrhoea ſupervenire conſuevit. Attamen fateri oportet, obſtructionem & diatheſim ſaepe ad diarrhoeam inducendam conjungi, etenim cacochimia primae regionis, humorum diſgregatio, ſimulque determinata eorum corruptio atque vitioſa diatheſis, potiſsimae ſunt cauſae occaſionales diarrhoeae, ut in Pathologia fusè monſtravimus (a). Inter cauſas efficientes diarrhoeae primum fermè locum obtinet aër, calore enim nimio, frigiditate, humiditate, tum diſgregando humores fluxioneſque excitando, tum eos his qualitatibus afficiendo, diarrhoeam excitat. Sed interdum id occulta vi efficere teſtantur febres puncticulares, colliquantes, epidemicae, malignae, ab aëre excitatae, & diarrhoeam ſymptomaticam comitem habentes. Diaeta maximè etiam confert ad generandam diarrhoeam, ciborum enim & potuum copia & qualitas: labor & exercitationes vehementes tum corporis tum animi: veneris abuſus, & id genus alia non rarò diarrhoeam producere ſolent. Animi pathemata, timor, deſperatio, ira, aliaque hujuſmodi, diarrhoeas periculoſas ſubitò & inſperatò produxiſſe, notiſsimum eſt.

Diarrhoea ex ſe ad curationem nihil aliud poſtulare videtur, niſi ut cohibeatur, hoc enim facto non amplius erit diarrhoea. Sed cum fluxum cohibere graviſsima inducat ma-

la,

(a) *Patholog. tract. 2. prop. 11. num. 48. pag. 490.*

la, ſedato enim ſymptomate, morbo ejus generatore permanente, neceſſe eſt, ut alia graviora ſymptomata ejus loco ſuccedant, proinde cautiores Medici experientia ducti conſulunt, ut diarrhoeae curatio dirigatur ad humores vitioſos corrigendos, & morbum diarrhoeae generatorem avertendum. Pro his finibus aſſequendis oportet ante omnia humorem fluentem cognoſcere, an bilis flava ſit, an pituita, bilis atra, &c. an hi humores puri, an ſecum permixti: an denique aegri tolerantia & conferentia, an ſecus excernantur. Deinde inquirere expedit, quaenam pars corporis praecipuè affecta ſit, an inteſtina in ſe ipſis, an ex aliis partibus malum recipiant. Quibus omnibus attentè penſitatis, in promptu erunt indicationes morbum humoreſque vitioſos corrigendi, & integrè eliminandi. Humorum quorumvis in diarrhoea prodeuntium ſigna in Pathologia tradidimus: partium autem affectarum inditia, ex his, quae de partium ſtructura & uſu in Phyſiologia docuimus, eruere non erit difficile (a). Id generaliter circa quamcumque diarrhoeam notare convenit, adſtringentia ſub initiis numquam, niſi in caſu ſummae urgentiae, cùm ſcilicèt vires extremè labuntur, adhibenda eſſe: Morbo autem diutius trahente, moderatiſsimè praeſcribenda ad emendandum languorem, eaque perpetuò eligenda, quae citra caliditatem aut frigiditatem roborant potius, quàm adſtringunt. Hinc quae de ſananda lienteria tradidimus, huc transferri poſſunt, optimè enim notat Hippocrates, dyſenteriam, lienteriam, & diarrhoeam conſimiles eſſe morbos (b). Inter medicamenta roborantia, leviter adſtringentia, & magni uſus in longa diarrhoea, numeratur vinum, in quo per aliquod tempus infuſum ſit ferrum ſub forma pulveris, in polline ſubtiliſsimè triti. Imò & ſi calor viſcera occupet, loco vini acetum commodè ſubſtitui poteſt. Hoc medicamentum coclheatim per vices exhibitum commendamus ex Boerhavio (c), ejuſque uti-

(a) *Vide Pathol. noſtr. tract. 2. prop. 11. num. 49. pag. 493. & Phyſiolog. tract. 2. prop. 6. & tract. 6. prop. 50.*

(b) Hipp. *de Affection. ſect. 1. verſu 280.*

(c) Vide Boerhav. *Elementa Chemiae, tom. 2. part. 3. proceſ. 167. & 168. pag. 388. ſeq.*

utilitatem propria obſervatione confirmavimus. Pillulas ex vitriolo martis cum diaſcordio confictas, parva doſi ante cibum exhibitas, & pro re nata repetitas, utiles aliquando animadverti.

APHORISMI.

I.

In perturbationibus ventris & vomitibus ſpontè evenientibus, ſi quidem qualia oportet purgari purgentur, confert, & facilè ferunt: ſin minus, contra. Sic & vaſorum evacuatio ſi quidem qualem fieri decet fiat, confert, & facilè ferunt: ſin minus, contra. Reſpicere igitur oportet & regionem, & tempeſtatem, & aetatem, & morbos, in quibus convenit aut non (a).

II.

Si qualia purgari oportet purgentur, confert, & facilè ferunt; ſi verò contraria, difficulter (b).

III.

Quae prodeunt, non copia ſunt aeſtimanda, ſed ſi prodeant qualia oportet, & aeger facilè ferat, &c. (c).

Quae in iis ſententiis tradit Hippocrates tam perſpicua, tam certa ſunt, ut nulla egeant explicatione, ſi tirones accuratè, ſummaque diligentia, ut decet, ſingula earum verba perpendant. Id unicè notandum, inter caetera ſigna deſumpta ex evacuationum quantitate, qualitate, ſubſtantia, exeundi modo, tempore anni, & morbi, conditione humoris aegritudini congrua, uti hic annotantur, praeferendum eſſe inditium, quod ex conferentia & tolerantia aegrotantis deſumitur, haec enim certiſsima eſt regula bonarum evacuationum. Curandum tamen, nè in his examinandis fallamur, neque praeproperè judicium ferentes, de bona conferentia & tolerantia ſtatim pronuntiemus, levamina enim falſa appare-

re

(a) Hipp. *lib.* 1. *Aphor. ſent.* 3.
(b) Hipp. *lib.* 1. *Aphor. ſent.* 25.
(c) Hipp. *lib.* 1. *Aphor. ſent.* 23.

re ſolent, quae imperitis fucum faciunt (a), quod ut vitemus, memoria recolenda ſunt, quae his de rebus in Pathologia tradidimus (b).

IV.

Valdè tamen aquoſum (alvi excrementum), *vel album, vel chlorum, hoc eſt, ex pallido viride, vel vehementer rubrum, vel ſpumoſum dejicere: omnia haec mala ſunt* (c).

V.

Mala autem dejectio eſt, ſi fuerit parva, & glutinoſa, & alba, & ſubchlora, ac levis (d).

VI.

His autem magis lethales erunt dejectiones nigrae, vel pingues, vel lividae, vel eruginoſae, vel foetidae (e).

VII.

Variegatae tamen dejectiones his deteriores ſunt, ſed nihilominus lethales: ſunt autem tales ramentoſae, & bilioſae, & cruentae, & porraceae, & nigrae, nonnumquam quidem ſimul, nonnumquam verò viciſim procedentes (f).

Perſpicuae etiam ſatis ſunt iſtae ſententiae. Si quid tamen in eiſdem confirmandis ulterius adjiciendum, id in Illuſtrationibus ad Hippocratis Prognoſtica invenient tirones, praeter ea, quae in tractatu de febribus lingua vernacula, de alvi fluxu febrium acutarum ſcripta reliqui.

VIII.

A diuturno alvi profluvio detento, ſponte ſuperveniens vomitus alvi profluvium ſolvit (g).

Si alvi fluxus diuturnus ex habituali inteſtinorum, aliarum-

(a) Vide Hipp. *lib. 2. Aphor. ſent. 27.*
(b) *Vide Pathol. noſtr. tract. 1. prop. 4. pag. 435. & tract. 3. prop. 15. pag. 541.*
(c) Hipp. *lib. Progn. ſec. 2. text. 20.*
(d) Hipp. *lib. Progn. ſec. 2. text. 21.*
(e) Hipp. *loco citat. text. 22.*
(f) Hipp. *loco citat. text. 23.*
(g) Hipp. *lib. 6. Aphor. ſent. 15.*

rumque partium ventris vitio, phlogosi, duritie, debilitate procedat, vomitu superveniente, non modo non solvitur, sed & pejoris conditionis redditur. Idem intellige de alvi fluxu diuturno ex pulmonum tabe, aliarumque partium principum inemmendabili malo nascente. Ergo tunc tantùm conducit vomitus ad diarrhoeam tollendam, cùm haec ex humorum affluxu à capite, aut forte à toto corpore in intestina oritur, tunc enim, revulsione humoris facta in ventriculum, alvi profluvium solvitur. Hinc discimus, non facilè nos titulo imitandi naturam vomitoria in alvi fluxu diuturno debere praescribere: „ Nam non aequè benè nec un-
„ dequaque potest ars naturam imitari, ut in humoris ex-
„ cernendi quantitate, conditione, tempore, & modo pa-
„ riformiter se habeat, valeatque id solum, quod vitiosum
„ est & morbum facit, salutariter educere (a).

IX.

Quibus biliosae sunt egestiones, surditate superveniente cessant. Et quibus surditas, biliosis supervenientibus cessat (b).

X.

Quibus in febre aures obsurduerint, his sanguis è naribus effluens, aut alvus exturbata morbum solvit (c).

XI.

Opthalmia laborantem alvi profluvio corripi, bonum (d).

Nec perpetuò surditas, nec opthalmia alvi fluxu superveniente tolluntur, si enim haec mala ex cerebri phlegmone, intemperie, aut alio valido morbo proveniant, ut in phreniticis, maniacis, delirantibus, convulsis contingit, alvi fluxu non tolluntur, atque temerarium esset, Medicum per medicamenta cathartica, sub praetextu naturam imitandi, in his casibus ventrem movere. Sed si surditas, opthalmia, aliaque,

(a) Tozzi *Com. in lib. 6. Aphor. Hipp. text.* 15. *pag.* 138.
(b) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. sent.* 28.
(c) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. sent.* 60.
(d) Hipp. *lib.* 6. *Aphor. sent.* 17.

id genus, capitis incommoda ex fluxione à cerebro in ſubjectas partes procedant, humore in inteſtina converſo, ſponte naturae tolluntur.

XII.

Quibus ſpumoſae egeſtiones in alvi profluviis, his de capite pituita defluit (a).

Perpetuum non eſt, ſpumoſa excrementa per alvum ejecta ex capite pituitam fundente naſci, nam, ut benè notat Galenus, ſpuma ex inteſtinis, aliiſque partibus malè affectis, praeter cerebrum, oriri poteſt (b). Spuma ergo in excrementis alvi probat pituitoſum humorem ſpiritu flatuoſo repletum, atque igneo viſcerum calore agitatum; idcirco egeſtiones ſpumoſas damnat Hippocrates in Prognoſticis, noſque in ejus Illuſtrationibus, quid ſimiles evacuationes indicent, explanavimus (c).

XIII.

Stercoracea alvi egeſtio cum tenſione alvum malè affectam denuntiat (d).

In ſenibus, quibus diarrhoea ex imbecillitate familiaris eſſe ſolet, ſtercoraceum alvi fluxum aliquando vidimus, qui diuturnitate temporis eos confecit. Id ipſum obſervavimus in ſcorbuticis, hiſtericis, iiſque, qui ataxia ſpirituum laborantes, nec benè alimenta concoquunt, nec probè digerunt: unde plurima excrementa in alvo colligunt, ut ex aſſumptis alimentis, ex ea tantum portione, quae in vapores verti poteſt, ali videantur, reliquum in excrementa convertatur. In his ergo, dum alvus ſtercoracea per multum tempus dimittit, nec roborantia, nec adſtringentia locum ullum habent, ſed diaeta tenuis ita comparata, ut plurimum vaporis alimentitii, parum excrementi tribuat, ipſos adjuvat.

(a) Hipp. *lib.7. Aphor. ſent.30.*
(b) Gal. *com.7. Aphor. ſent.30.*
(c) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Progn. ſec.2. text.20. p.110.*
(d) Hipp. *in Coac. Duret. lib.3. tract.4. ſent.35. pag.540.*

XIV.

Eſt verò ſanguineum multum grumoſum fundere, lethale (a).

XV.

Dejectio nigra velut ſanguis cum febre, & ſine febre, mala (b).

Excretiones ſanguinis per infernam alvum ad tria capita reduci poſſunt, quae triplex diarrhoeae ſanguineae genus conſtituunt. Ejicitur aliquando ſanguis ex haemorroidalibus venis modò cum fructu, modò cum periculo; ſi enim certis temporum intervallis fluat per aliquot dies moderatè, ſine virium languore, & ſine ſymptomatibus, non ſolùm ea evacuatio utilis eſt, ſed & à magnis morbis, inſania, phrenitide, peripneumonia, hypocondriorum phlegmone, aliiſque hujuſmodi liberat. Si haec ſanguinis evacuatio nimia ſit, per plurimos dies duret, atque grumoſus ſanguis confertim exeat, periculum eſt, nè aeger in convulſionem, hydropem, aut ſyncopem incidat. Familiare eſt omnibus, qui ex haemorroidibus ſanguinem fundunt, colorem foedatum habere, affectionibus partium ventris laborare, vitamque valetudinariam tranſigere. Inſuper: „ Valdè palleſcunt, tor-
„ pent, ignavi ſunt, cibum faſtidiunt, cruditate laborant: &
„ quum excretus eſt ſanguis, languidi fiunt, membra reſol-
„ vuntur, caput verò levius & agilius redditur: at ſi per
„ circuitum nihil ſanguinis effluxerit, capitis dolore vexan-
„ tur, oculorum acies hebet, tenebrae eis obverſantur, ver-
„ tiginem patiuntur. Inde alii infiniti in comitialem morbum
„ incidunt, tumidi, veluti caligine perfuſi, aquam intercu-
„ tem patientibus ſimiles: alii morbo atrae bilis, aut ner-
„ vorum reſolutione tentantur, nam ex conſueti profluvii
„ ſanguinis retentione hujuſmodi mala proveniunt (c). Neque omittendum, haemorroidas, poſt ejectum ſanguinem, humorem pituitoſum, calidum, acrem, & atra bile commixtum ſub teneſmi forma fundere, quae omnia planè pru-

(a) Hipp. *loco citat. ſent.* 23. *pag.* 535.
(b) Hipp. *loco citat. ſent.* 25. *pag.* 536.
(c) Aretaeus *de cauſ. & ſig. morb. diutur. lib.* 2. *cap.* 3. *pag.* 54.

dentem Medicum poſtulant, patientemque aegrum, ſi enim ſanguinis, aut humoris praedicti evacuatio nimium permaneat, debilitatur aeger, ſi verò medicamentis adſtringentibus ſiſtatur, intus incluſa materia morbum gravem ſaepeque lethalem inducit. Ergo iis, quibus haemorroides fluunt, medicamenta purgantia (quamquam alvi ſtipticitate fermè perpetuò affliguntur) numquam dare oportet, nec medicamina calida, nec quovis modo corpus urentia, quin potius natura juſculis temperantibus, identidem repetitis, fovenda, eique ac tempori reliquum negotii committendum. Nocet etiam, corpus nimium refrigerare; ſed praeſertim frigida medicamenta ipſis haemorroidibus applicare, & lumbis, noxium eſt. Alterum evacuationis cruentae genus fit, cùm ex hepate affecto & imbecillo fluit per alvum ſerum ſanguineum ſimile loturae carnium recenter mactatarum. Alio denique modo fluit ſanguis per infernam alvum, cùm apertis aut ruptis meſenterii, inteſtinorum, aut aliarum partium ventris vaſis ſanguineis, cruor modò ſincerus, modò humoribus mixtus, interdum grumoſus magna ſatis copia effunditur. Id evacuationis genus aliquando integra valetudine, aut parva ſaltem laeſione, accidere conſuevit his, quibus aliquot corporis membrum abſciſſum, aut conſueta ſanguinis evacuatio quovis modo ſuppreſſa eſt. At cùm vi morbi id contingit, magno aegrorum diſcrimine fieri, obſervatione didicimus. Has omnes ſanguinis excretiones accuratè perſequutus eſt Galenus (a); ſed quoniam haec doctrina ad praxim, ſi quae alia, utiliſsima eſt, placet, quae noviſsimus ſcriptor & ſatis accuratus Lieuthaudus de his rebus fideliter tradit, tranſcribere: „Inter rariores morbos recenſeri „ debet *fluxus hepaticus*: ni, uti mos eſt, hoc titulo inſig„ niantur affinia profluvia. Genuinus ſe prodit dejectioni„ bus ſubcruentis, vel loturae carnium ſimilibus: ac febre „ lenta ſtipatur; non ſecus ac cibi faſtidio & oris amaritie: „ praeterea erumpunt flatus; minguntur urinae bilioſae; tu„ met cum dolore & renitentia hypocondrium dextrum; „ fa-

(a) Gal. *de Locis affec. lib. 5. cap. 7.*

„ facies colorem ſubluteum induit; ingruunt tuſsis & ſpiran-
„ di difficultas; ſanguis demum è naribus vel ore proſilit.
„ Nonnulli inter recentiores hunc affectum pro quodam flu-
„ xu haemorroidali interno perperam habuerunt: ſed ob-
„ ſervationes è cadaveribus depromptae arguere videntur,
„ hepar haud immeritò à Veteribus incuſari... *Alius* occur-
„ rit *alvi fluxus cruentus*, ſub quo ſanguis majori ſaepius
„ proventu egeritur, à dyſenterico, hepatico, & haemor-
„ roidali ſummè diſcrepans, quem, ob ſuam duplicem pro-
„ ſapiam, *gaſtro-meſentericum* vocitare lubet. A diſruptis vaſis
„ gaſtricis, vel meſentericis oriri hancce haemorragiae ſpe-
„ ciem, docet autopſia cadaverum: hinc intelligitur, cur vo-
„ mitum cruentum plerumque excipiat. Sanguis per podi-
„ cem excretus à diverſa in primis viis mora, & à varia
„ morbi ſede, nunc ſcilicèt in ſtomacho, nunc in gracilio-
„ ribus inteſtinis, vel in craſsioribus, ſub multiplici conſ-
„ pectu ſe profert. Ideo vel ſincerus & floridus deprehen-
„ ditur, vel foecibus alvinis probè mixtus & foeculentus
„ obſervatur: alias inodorus & graveolens occurrit, ob mi-
„ norem ſcilicèt vel longiorem, quem percurrit, tractum,
„ priuſquam per podicem foràs amandetur. Etenim ratione
„ morae in tubo inteſtinali diverſum colorem induit, varium-
„ que foeditatis gradum contrahit; atque ex hocce putrido
„ latice infenſiſsimum quoddam haud rarò emergit delete-
„ rium, quod non ſolùm lypothymias accerſit, ſed etiam
„ necem infert. E dejectionum atro colore *morbum nigrum*
„ ab Hippocrate dictum fuiſſe fluxum gaſtro-meſentericum,
„ jàm ſupra notavimus; ad quem *proclives* eſſe melancho-
„ licos & ſcorbuticos, norunt practici (a). Quod caeteras
attinet excretiones nigras, ſed incruentas, ſatis de his lo-
quuti ſumus in Illuſtrationibus ad Hippocratis Prognoſti-
ca, & in tractatu de Febribus lingua vernacula (b).

(a) Lieuth. *Synop. univ. Praxeos-medic. lib. 1. ſec. 4. pag. 220.*

(b) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Progn. ſec. 2. text. 22. pag. 111. & Tract. de Febrib. cap. 4. §. IX. pag. 75.*

XVI.

Cùm morbus aliquis incipit, ſi quid excernatur, id tunc naturae ratione & lege non excernitur, ſed ſunt omnia earum, quae praeter naturam ſunt in corpore affectionum, ſymptomata. Quamdiu enim à cauſis morbum facientibus gravatur natura, & humorum adeſt cruditas, tunc ut aliquid rectè evacuetur, fieri omninò non poteſt (a).

Excretiones per alvum, attentis colore, ſubſtantia, exeundi modo, & effectibus, jàm ſatis ſupra ex Hippocratis doctrina explicavimus. In praeſenti breviter tironibus monſtrare expedit, quodnam judicium ſit ferendum de ventris evacuationibus, quae incipientibus morbis contingunt, ut diſtinguantur ab illis, quae in criſi adveniunt. Igitur ſimiles evacuationes rectè dicuntur ſymptomaticae, quoniam, ut optimè in hoc textu Galenus monet, non fiunt ex naturae ſanae & ex ſe ipſa operantis lege, ſed vi morborum coactae ad expellenda noxia. Hac ratione in ſe ipſis ſpectatae numquam bonae cenſendae, quia perpetuò morbum ſupponunt graviorem, aut leviorem pro ipſarum conditione. Sed ex accidenti eas proficere in febribus acutis, malignis, petechialibus, aliiſque hujuſmodi, multarum obſervationum fide cognovimus (b); quapropter eas prudenter tractare convenit: neque umquam cohibendae, niſi ſumma urgente neceſsitate, quin potius tolerandae, etſi probae non ſint, ut majora mala vitentur. Dum acuti morbi incipiunt, natura à cauſa morbum faciente irritatur, humores diſgregantur, & putredo ſenſim ingruit (c). Ergo eam materiem ut inutilem & noxiam natura expellere nititur, quod ſi benè fiat, magnum affert levamentum, cum ea enim pars cauſae morbificae ejicitur; ſi verò ob viarum anguſtiam, viſcerum inflammationem ab ipſa materia acri & putrida effectam, aut naturae languorem non expellatur, magna indè damna, & mor-

(a) Galen. *Com. in lib. 4. Aphor. Hipp. ſent. 22.*

(b) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Prog. text. 14. pag. 98.*

(c) *Vide Tract. de Febrib. lingua vernac. cap. 3. pag. 27. ſeq. & Patholog. noſt. tract. 2. prop. 11. num. 48. pag. 490. & ſeq.*

mortem ſaepè induci, videmus. Idcirco permiſsis hujuſmodi ſymptomaticis excretionibus, id Medico agendum incumbit, ut morbum earum generatorem accurata methodo corrigat & emmendet.

XVII.

Uno die fluere alvum, ſaepe pro valetudine eſt: atque etiam pluribus, dum febris abſit, & intra ſeptimum diem id conquieſcat. Purgatur enim corpus, &, quod intus laeſurum erat, utiliter effunditur (a).

Pulchra ſententia & ad uſum practicum accommodatiſſima, fluxum enim ventris, qui ſponte naturae excitatur, citò cogere velle, hoſtem intùs coercere eſt. Conſulendi ergo tirones, ut hanc Celſi ſententiam prae oculis habentes alvum fluere ſinant per aliquot dies, & aegrum quiete, abſtinentia potus, laudabili victu, & ſomno diſponant, ut diarrhoea intra debitum tempus ex ſe ipſa coerceatur.

CAPUT X.

DE DOLORE COLICO-ILIACO.

APud Hippocratem, & Medicos ipſi coaevos, nuſquam, quod ſciam, doloris colici, ſub eo nomine, mentio fit. Crediderunt hinc aliqui, morbum eſſe novum & veteribus incognitum, idque confirmant auctoritate Plinii ita loquentis: „Id ipſum mirabile, alios (morbos) deſinere in „nobis, alios durare, ſicuti colum. Tiberii Caeſaris prin„cipatu irrepſit id malum, nec quiſquam id prior Impera„tore ipſo ſenſit, magna civitatis ambage, cùm edicto ejus, „excuſantis valetudinem, legeretur nomen incognitum (b). Sed cordatiores, re maturè inſpecta, colicum dolorem morbum non eſſe novum, ex vero affirmant (c); Hippocratem enim ipſum deſcripſiſſe ſub *ilei* nomine, ejus opera attentè le-

(a) Celſ. *de Medic. lib. 4. cap. 19. pag. 229.*

(b) Plin. *Hiſtor. Natur. lib. 26. cap. 1.*

(c) Vide Sennert. *Pract. lib. 3. part. 2. ſec. 2. cap. 2. queſt. 1. pag. 437.*

legenti notum fit, iliacum enim malum & colicum pro uno eodemque morbo habuit, & accuratè deſcripſit (a). Romana civitas Veſpaſiani temporibus, quibus vivebat Plinius, in rebus medicis parùm exculta, mirata eſt nomen incognitum, veriſimile enim eſt, cultiſsima Celſi, qui Tiberii temporibus floruit, opera, parùm adhuc apud eas gentes viguiſſe, ſic enim ſcriptor hic, omni laude major, de hac re loquitur: „ Intra ipſa verò inteſtina conſiſtunt duo mor-„ bi, quorum unus in tenuiore, alter in pleniore eſt. Prior „ acutus eſt: inſequens eſſe longus poteſt. Diocles Cariſtius „ tenuioris inteſtini morbum *chordapſon*, plenioris *ileon* no-„ minavit. A pleriſque video, nunc illum priorem *ileon*, hunc „ *colicon* nominari (b). Si attentè naturam, effectus, phoenomena doloris iliaci, & colici conſiderentur, eundem omninò eſſe morbum, ſola ſymptomatum vehementia diverſum, quivis intelliget. Cùm tamen Galenus hos morbos diſtinxerit, atque ſcholae in ejus fermè verba juraverint, inde factum, ut plerique ſcriptores diviſim de his malis, tamquam diſtinctis, egerint. Nos autem pro tironum uſu accommodatiſsimum duximus, ea mala ſub uno capite comprehendere, ita enim fiet, ut vetuſtiſsimorum Medicinae Principum de his effata comprehendant, & fortè aegritudinis indolem plenius agnoſcant. Eſt igitur dolor colico-iliacus: *affectio inteſtinorum dolens, cum praeternaturali eorum, verſus ſuperiora, motu conjuncta.* In hoc malo dolor modò tenuia, modò craſſa occupat inteſtina: nunc fixus, nunc vagus & inconſtans eſt; quapropter omnia inteſtina pro parte affecta verè habentur. In Phyſiologia monſtravimus, inteſtina motum habere partibus ſolidis humani corporis proprium, quo alimenti portionem recipiant, & foeces ad inferiora pro earum expulſione promoveant (c). In dolore colico-iliaco, inteſtinis praeter naturam affectis, motus invertitur verſus ſuperiora, indeque vomitus hunc morbum fermè perpetuo comitantur cum ſummè difficili inferioris alvi adſ-

(a) Vide Gorraeum, *verb.* κωλικὴ, *pag.* 353.

(b) Celſ. *de Medic. lib.* 4. *cap.* 13.

(c) *Vide Phyſiolog. noſtr. tract.* 2. *prop.* 13. *num.* 69. *pag.* 117. *ſeq.*

adſtrictione. Dolor colico-iliacus ſymptoma eſt in actione depravata facultatis animalis non principis, nempè ſentientis, & moventis. Morbus horum ſymptomatum generator eſt ſaepè intemperies, rarò admodum ſoluta unitas; vidimus enim in Pathologia, dolores ab intemperie potius quàm unitatis ſolutione generari (a). Igitur intemperies, quae in qualitatibus manifeſtis conſiſtit, aliquando ſed rarò morbum hunc creat, calorem enim immodicum, & frigus improvidè ſuſceptum inteſtina labefactare, eaque dolentia reddere, obſervationibus notum eſt. At intemperies, quae in vitiata partium ſubſtantia conſiſtit, potiſsima eſt doloris colici-iliaci generatrix, corrupta enim atque vitiata inteſtinorum compage, certoque & ineffabili modo affecta eorum ſubſtantia, quae calidum humidumque nativum conſtituit, plurima mala, ſed praeſertim dolores maximi, inde naſcuntur. Adde, quod inflammatio ſaepiſsimè hoc malum producit, atque in quovis inflammationis genere partium ſubſtantia & temperies certo modo vitiari ſolet. Praeter differentias generales morborum affectioni colico-iliacae communes, diſtinguere in ea expedit, an iliaca magis quàm colica, aut contra potiùs colica ſit, quàm iliaca. Diſcernitur id ex affectis inteſtinis: nam ſi tenuia magis laborent, affectio in iliacam: ſi craſſa, in colicam magis vergit, quod probè notandum ad accuratam prognosim, & curationem. Deinde hoc malum acutum eſt aut chronicum, ita tamen ut iliacum in acutum, colicum in chronicum potius vergat: utrumque autem & celere, & longum eſſe poteſt. Epidemicam interdum eſſe hanc affectionem, pluribus exemplis conſtat, ſed praeſertim ex conſtitutione à Paulo AEgineta adducta, quam in priore parte hujus operis tradidimus agentes de paralyſi. Endemium etiam eſſe id malum, ex colica Pictavienſium, ſeu Pictonum, & quam hic Madriti experimur, notum eſt, quamquam ex deſcriptione, quàm Citeſius, ocularis teſtis, de colica Pictonum ſaeculo praeterito reliquit, ſunt qui hoc malum epidemicum in ea re-

(a) *Vide Pathol. noſtr. tract. 3. prop. 13. num. 62. pag. 524. ſeq.*

regione exiſtimaverint. Utut ſit, plures in eo explicando adlaborarunt, inter quos noſtris temporibus praecipuè adnumerandus Antonius de Haen, qui edita primùm diſſertatione de colica Pictonum, quibuſdam deinde, novis curis, retractatis, tùm demùm completam hujus morbi notitiam tradit (a). Fatendum nihilominus, auctorem hunc pro more ſuo, in his lucubrationibus, theoreticis & ſiſtematicis ratiociniis nimium delectari. Neoterici Scriptores colicam affectionem dividunt in humoralem, ut ipſi vocant, inflammatoriam, ſpaſmodicam, ſtercoroſam, flatulentam, verminoſam &c. Sed re attentè inſpecta, haec omnia cauſarum & effectuum notiones ſunt, non morbi differentiae: contemnenda tamen omninò non ſunt, quia id commodi afferunt, ut nos commoneant, num vigeat in hoc malo inflammatio, an corruptorum humorum copia, flatus, vermes, ſtercorum proventus &c.

Plethora, obſtructio, & diatheſis, ut omnium morborum ſunt occaſionales cauſae, ita ad affectionem colicoiliacam inducendam interdum quaelibet earum ſeorſim, ſaepè ſimul concurrentes diſponunt. Repletio vaſorum inteſtinalium, meſenterii, hypocondriorum, aliarumque partium ventris, huic morbo anſam praebet in hypocondriacis, hyſtericis, & iis, quibus conſuetae ſanguinis evacuationes per haemorroides & uterum ſuppreſſae ſunt. Obſtructio non ea modò quae inteſtinorum cavitates includit, ſed praeſertim quae eorum tunicas replet, hunc accerſit: quod benè notandum, ut intelligamus, facilius cedere affectionem, quae ab obſtructis cavitatibus, quàm quae ab obſtructis tunicis inteſtina conſtituentibus ortum ducit. Huc pertinet iliaca affectio iis adveniens, quibus inteſtinum cum ſtercore in inguina aut ſcrotum procidit, neque in ventrem repellitur, ſed per vim & anguſtiam retentum phlegmone vexari ſolet. Diatheſis accedens plethorae, aut obſtructioni eas ad hunc morbum prae aliis producendum determinat, quae variis formis hic laedere ſolet. Quibus inteſtina debi-

(a) Haen *Ratio meden. tom. 2. circa finem, & tom. 1. part. 3. cap. 2. pag. 290.*

bilia ſunt ab ortu, aut aetatum progreſſu: febribus tertianis maximè autumnalibus laceſiti: atra bile, hypocondriaca, hyſterica, ſcorbutica affectione vexati: cruditatibus obnoxii, aliique hujuſmodi, ob ſpecialem diatheſim huic morbo ſuſcipiendo aptiſsimi ſunt. Sed animadvertere oportet, frequenter plethoram, obſtructionem, & diatheſim conjungi in hoc malo, quod ad curationem aggrediendam neceſſe eſt tirones conſiderent, inde enim fit, ut inflammatio, etſi non unica neque perpetua ſit hujus doloris cauſa, frequenter tamen ipſum producat aut comitetur. Inter efficientes cauſas aër, ejuſque alterationes maximam vim habet ad hunc morbum generandum. Sic aeſtate & autumno hoc malum viget magis quàm hyeme & vere, atque certas annorum conſtitutiones huic affectioni inducendae vires accommodatiſsimas habere, conſpicimus. Diaeta multum etiam confert huic morbo producendo; ſi enim pravi humores ex multis, vitioſis, nec benè coctis alimentis in prima regione cumulentur: ſi potibus ſpirituoſis calidis, exercitationibus violentis corporis aut mentis, immodica venere, aut alio quovis modo corpus nimium incaleſcat, facilè haec affectio excitatur. Animi pathemata vehementiora, ſed praeſertim iram, hoc malum ſaepius accerſiſſe, omnibus notum eſt. Sic videre eſt apud Tulpium, fidiſsimum obſervatorem, foeminam ex vehementi iracundia ileo lethali correptam (a).

Praeviſis his omnibus, in hiſtoria doloris colico-iliaci tradenda, praemonere oportet, primùm phoenomena utrique affectioni communia, deinde quae cuique, prout magis viget, propria ſunt, tum demùm finiendi modum eſſe proponenda. Igitur affectio haec ſicut pueros, ſeniores, & foeminas rarò, ita frequenter juvenes & conſiſtentis aetatis homines adoritur. Interdum repentè ingruit, ſaepè praecedunt cruditates, faſtidia, languor, crurum impotentia, oris inſuavitas. Sub initiis, morbo jàm praeſente, dolor acutus modò vehemens modò remiſior ventrem occupat, nunc fixus, nunc vagus, ſuperiorem, inferiorem ventris regionem, aut latera

(a) Tulp. *Obſerv. Medic. lib. 2. cap. 41. pag. 159.*

invadit. Hinc paſsionem iliacam Barbari *miſerere mei* appellaverunt. Vomitus ſequitur corruptorum humorum, crudi enim, bilioſi, pituitoſi, virides, quandoque etiam nigri per os ejiciuntur cum anxietate, implaciditate, faſtidio. Alvus clauſa eſt, & rarò quidquam dejicit, idque incipiente tantùm morbo fit, cùm excrementa, infernam alvum ſub ejus ingreſſu occupantia, expelluntur, poſtea prorſus recluditur. Venter inflatur, tenditur. Pulſus ſubduri, denſi, aliquando inanes, inflati, falſam magnitudinis ſpeciem repraeſentantes. Febris perpetuò adeſt, ita tamen, ut aliquando obſcura, ut plures credant, aegrum non febricitare, aliquando manifeſta, ejus tamen indolis, ut calor in habitu corporis lentus nec nimium acris percipiatur. Creſcente morbo, augentur omnia, ſed accedit multa ſitis, multumque aquae bibendae deſiderium, quod ipſum tamen potationibus non quieſcit: ructus etiam fiunt, & interdum, aeger jamjam eructaturus, protinùs cohibentur. Reſpiratio cum anhelatione: ac ſi quidquam per clyſterem fuerit injectum, aut non admittitur, aut admiſſum retinetur, exitu negato, aut ſi fuerit redditum, erit mixtum viſcidis & ſpumoſis. Itaque ſi tenuia laborent inteſtina atque adeo dolor in iliacum magis vergat, his omnibus accedit continua vomitio, ut etſi per os aſſumpta ad ſtomachum deſcendant, non multò poſt vomitu rejiciantur, ſubindeque pravi humores & olentes cum alimento corrupto, vomendo, ejiciuntur. Singultus adeſſe ſolet, & aegrotantis corpus, ſed praeſertim facies, nigreſcit. Febris acuta fit: caput nutat: vigilia: venter ita tenſus, ut chordae inſtar diſtringi videatur, quod veteribus occaſionem dediſſe fertur, ut malum hoc chordapſon appellarent, Latini volvulum. Morbo jàm ad ſummum ſtatum evecto, praeter omnia dicta phoenomena, implaciditas adeſt maxima: per inferna nihil ſolidi, nè quidem flatus ejiciuntur: vomitus immaniſſimi, ut ſtercus ipſum humoribus diſſolutum, foedè tamen olens, per os ejiciatur. Interea pulſus languent: corporis extrema frigent: ſitis intolerabilis: animi abjectio, mentis aberratio: ſingultus frequens: lingua ſicca: nervorum diſtenſio: gelidus ſudor, cordis tremor, ſyncopa, omnia certiſsimae mortis nuntia. Cùm verò dolor in colicum magis vergit

raſ-

craſſa occupans inteſtina, eiſdem ſymptomatibus in mortem ducit, malo ad ſuperiora inteſtina translato, facilè enim in iliacum & acutum convertitur. Ex ſitu doloris, ſymptomatum vehementia & acutie, vomitus frequentia & conditione, febris indole, malum ad craſſa & inferiora inteſtina magis vertere, quivis in obſervando attentus intelliget. Quod ſi in ſalutem aeger tendat, praeterquamquod omnia praedicta remiſiora ſunt, aegerque ex intervallis quieſcit, ſomnumque conciliat, nec vomitus ita frequentes nec malè olentes moleſtant, aliaque ſymptomata ſua vehementia non ita necem minantur, id etiam habet, ut purgante medicamento ore ſumpto alvus dejiciat primùm quidem ſiccum excrementum, aliàs more ovilis ſtercoris in globulos intortum, aliàs inſtar bubuli, leve, flatibus plenum, atque aquae ſupernatans. Reddito autem ſtercore, aut emiſis flatibus, levatur aeger, quieſcit, placidè reſpirat, omniaque venturae ſalutis inditia apparent. Sed perpetuum non eſt, affectionem hanc in ſalutem aut mortem directè terminare, quoniam in alios morbos ſaepe mutari ſolet. Igitur tranſitum colici doloris in epilepſiam ſaepè lethalem, & in paralyſim, ex Paulo AEgineta jàm vidimus: at in articulorum dolores, & impotentiam, communi obſervatione videmus. Relictis etiam ſuperioribus ſedibus, in ultimam ſuminis partem, inteſtinum rectum, & veſicam urinae delabi, non rarò contingit. atque haemorroidum fluxu ſuperveniente interdum ſanari, expertum eſt. Hoc mali genus numquam diſcrimine vacat, fermèque inter acutorum morborum terminos finitur, dum enim chronicum fit, non tàm dolore, quàm moleſtia afficit; quibus enim non penitus eradicatur, haec patiuntur: Gravitas adeſt ſenſuſque moleſtus, dum aeger à cibis abſtinet, ipſis autem aſſumptis inflatur, & difflandi quidem cupiditas eum inceſsit, ſed inferius exitus intercluditur; ructibus tamen facilè tentantur, & aliquando eructandi finem non aſſequuntur: quod ſi qua parte flatus erumpunt, viroſi planè odores ſunt, ſurſùm petentes, & acidos ructus, aut alias corruptos excitantes. Renes & veſica in partem hujus mali adducuntur, & urina modò cohibetur, modò cum labore inſtar ſtranguriae emittitur. His omnibus facies

cies tumet, color vitiatus, membrorum impotentia, atque temporis progreſſu abſceſus, & ulcera non mitia, aqua intercutem, & pthiſis ſupervenire ſolent. Neque id omittendum, affectionem colico-iliacam, cum ſemel occupavit, nullo negotio iterum invadere, praeſertim ſi inteſtina debilia, aut labefactata ſint, & errores in diaeta comitantur.

Ad curationem doloris colico-iliaci attentè inſpiciendum genus morbi, an inflammatio, ut ſaepè fit, an ex humoribus vitioſis obſtructio aut excrementis retentis, an diatheſis ſpecialis, an omnia ſimul concurrant; varia enim eſſe debet pro harum rerum varietate. In primis ſi inflammatio adeſt, nulla interjecta mora, ſanguis mittendus, primùm ex brachio, deinde ex pede; multum tamen ſanguinis non eſt extrahendum, inteſtina enim, ſicut ventriculus, ex multa ſanguinis evacuatione labefactantur, neque audiendi illi ſunt, qui, inteſtinis inflammatis, ſanguinem aſſerunt, ut in pleuritide, eſſe educendum. Quod ſi ſimul cruditas adſit, quae ex vomitu facilè cognoſci poteſt, parcè ſanguis extrahendus, ſimulque danda opera, ut crudi humores excernantur. Poſt haec ad diluentium, laxantium, & refrigerantium uſum ſtatim accedendum. Igitur conficiendum eſt juſculum ex pullo gallinaceo, carne vitulina, additis bugloſo, borragine, intubo, quod quaternis horis eſt propinandum, ita ut alternè intermediis horis detur ciatus aquae puriſsimae frigidae, pauxillo nitri alteratae, idque uſque ad diem quartum efficiendum. Interea clyſteres ex aqua, oleo, & ſaccharo injiciendi, atque pro re nata repetendi. Eodem tempore frictiones & lotiones crurum, itemque cucurbitulae ad femora applicatae magnam ſaepe opem attulerunt. Poſt quartum diem aqua nec tam frequens, nec tam frigida eſt praeſcribenda, ſed ex longioribus intervallis, ita tamen, ut loco nitri ſyrupus violarum, aut capillorum veneris ſubſtituatur. Eo tempore clyſteribus parùm mellis, aut mannae Calabriae addi poteſt. Poſt diem ſeptimum eadem peragenda, ſed loco ſyrupi violarum ſyrupus de mucilaginibus, aut de althaea Fernelii praeſcribendus. Poſt diem nonum, ſi febris remittat, & venter ad tactum laxus neque renitens ſit, purgatio ex rhabarbaro & ſyrupo roſarum ſolutivo lactis ſero di-

dilutis tutò inſtituitur. Ab ipſis morbi initiis confert oleum amigdalarum dulcium recenter extractum ſeu in juſculo, ſeu aliàs ad arbitrium Medici propinatum. Confert etiam omentum vervecis recens ventri applicatum, itemque veſica bubula lacte calido repleta, eidem appoſita. Si malum hoc ex vitioſorum humorum, aut ſtercorum proventu oriatur, ſecta prius vena cautionibus ſupra poſitis, per unum aut alterum diem idem aquae frigidae uſus convenit, non quidem nitro, ſed ſyrupo violarum alteratae, ut mollities & laxitas tum inteſtinis, tum humoribus obſtruentibus inducatur: quo facto, nulla amplius ſpectata mora, purgans medicamentum exhibendum, quod ad nutum Medici confingi debet. Mihi tamen in eo caſu prae caeteris arridet medicamentum, ex mannae Calabriae unciis duabus, ſalis anglici uncia una, aquae malvarum unciis ſex, compoſitum. Quod ſi medicamentum vomitu rejiciatur, iterum eſt repetendum. Caetera ut in inflammatione efficienda. Memini, poſt factas venae ſectiones, & poſt ſufficientem diluentium uſum, in hac mali ſpecie, grana duodecim trochiſcorum alhandal cum unciis duabus olei lini recentiſsimè extracti, mirificam ſtercorum & corruptorum humorum colluviem per inferna eduxiſſe, praeſentaneo aegrotantium adjumento; ſed leviora prius tentanda ſunt. Monitos hic velim tirones, morbi hujus tantam eſſe ferociam, ut quibuſvis adhibitis auxiliis, ipſe tamen tenaciter, quaevis artis opera eludendo, permaneat, fortè quia etſi plethora & obſtructio his medicamentis cedant, durat tamen diatheſis malum fovens, atque fateri oportet, ſpecifica, ut vocant, medicamina diatheſi colico-iliacae tollendae appropiata hactenus deſiderari. Ergo ſi malum diutius premat, neque propoſitae methodo cedat, ad laxantia & anodina recurſus eſt. Balneum, tinctura anticolica ex Pharmacopea Matritenſi, parca tamen doſi exhibita quia opium continet, theriaca, idque genus alia praeſcribenda ſunt moderatiſsimis doſibus, ita tamen ut purgantia, clyſteres, laxantia non omittantur: imò anodinis prius quies, evacuantibus deinde humorum excretio promoveatur. Hinc vides, quae vulgò pro hoc malo adducuntur ſpecifica, ut pulvis hepatis & inteſtinorum lupi: ſanguis anguil-

guillae: oſa meſpilorum: lumbrici terreſtres: jecur caprillum: umbilicus infantis nuper nati: coralum tritum: erinaceus uſtus, aliaque benè multa, ad muliercularum aniles fabulas, & otioſorum hominum figmenta eſſe relèganda.

APHORISMI.

I.

Ab ileo vomitus, aut ſingultus, aut convulſio, aut delirium, malum (a).

Cùm Hippocrates ſub ilei nomine, inteſtinorum, tum tenuium, cùm craſſorum, dolorem comprehenderit, neque quibuſvis harum partium doloribus vomitus ſuperveniant, proinde eos adeſſe malum eſſe pronuntiat, quod etſi generaliter certum ſit, de vomitus ſignificatione in doloribus colico-iliacis (etenim ſingultum, convulſionem, delirium iis accedere, periculoſiſsimum eſſe, nemo non intelligit) pauca praelibare juvat. Igitur ſi affectis inteſtinis, humorum vitioſorum colluvies ex nimia ingeſtorum, aut cruditatum antecedentium copia, ventriculum, hypocondria, parteſque vicinas occupet, natura robuſta interdum eos per vomitum ſpe ſalutis evacuat, idque ex conferentia & tolerantia, aliiſque bonis ſignis cognoſcitur. Hac ratione affectiones hiſtericae, hypocondriacae, ſcorbuticae aliquando levantur. Succedit etiam vomitus colicis & ileoſis, cum deficientibus vi morbi inteſtinorum facultatibus attrahente & expellente, alimenta in ventriculo corrumpuntur, atque pravis humoribus mixta vomitu evacuantur, quod ſemper magno aegri diſcrimine fit, nihil enim per inferiora dimitti, atque inteſtina gravi malo affici, ea per os excretio monſtrat. Longè autem pernicioſior eſt vomitus in his malis, cùm ſimul ſingultus, convulſio, aut delirium comitantur, indicium enim eſt, inflammationem inteſtinorum inſtar eryſipelatis ad ſuperiora converti, quod prorſus lethale eſſe, quivis intelligit.

(a) Hipp. *lib. 7. Aphor. ſent.* 10.

II.

II.

Quibus ex urinae ſtillicidio ileos ſupervenerit, in ſeptem diebus pereunt, niſi, febre ſuperveniente, urina abundè fluxerit (a).

Haec Hippocratis ſententia, etſi veriſsima, graviſsimorum ſcriptorum torſit ingenia. Galenus, poſtquam fatetur ignorare ſe verum aphoriſmi ſenſum, an legitimus is ſit, in dubium vertit (b). Caſalius noſter Aphoriſmum hunc de alio morbo, nempè de iſchuria renali, non de ileo ſuperveniente, intelligendum cenſet (c). Ego autem memini, me bis vidiſſe tranſitum ſtranguriae in dolorem iliacum. Igitur inteſtinorum ſuperiorum dolores vi naturae in recti inteſtini affectiones converti, atque ob vicinitatem affecta veſica, poſt colicos dolores ſtranguriam ſupervenire, communibus obſervationibus paſsim videmus: quas morborum viciſsitudines jàm pridem notavit Aretaeus (d). Quid igitur vetat, quominus malum ex veſica & inteſtino recto ad ſuperiora inteſtina devolvatur? Sanè morborum mutationes, metaſtaſes, translationes, hos alioſque ſimiles eventus quotidie monſtrant. Ergo cùm quis ex urinae ſtillicidio in dolores inteſtinorum colico-iliacos inciderit, videndum, num febris ſuperveniens malum iterum ad urinae vias deducat, ita enim fiet, ut per copioſam urinarum excretionem morbus ſolvatur, ſin minus aeger perpetuis vomitibus ileoſorum more morietur (e).

III.

In ileis nihil deſcendit ad inferiora, & hoc eſt proprium & inſeparabile paſsionis... Si vehementius diſtorqueantur, ſtercus eis aſcendit, atque ſingultiunt: quidam verò deſipiunt & convelluntur, compatiente nervorum principio ſtomachi paſsioni (f).

Nihil frequentius in libris Medicorum alioqui inſignium

(a) Hipp. *lib. 6. Aphor. ſent. 44.*

(b) Gal. *Com. in lib. 6. Aphor. ſent. 44.*

(c) Caſal *Hiſtor. Natural de Aſturias, tratado de las doctrinas de Hipp. §. 7. pag. 163. ſeq.*

(d) Aret. *de Cauſ. & ſig. diut. morb. cap. 8. pag. 59.*

(e) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Epidem. lib. 1. ſec. 2. text. 4. pag. 52.*

(f) Gal. *Com. in lib. 7. Aphor. Hipp. ſent. 10.*

legitur, quàm in doloribus iliacis vehementioribus ſtercora non modò vomendo per os educi, ſed & clyſteres per alvum injectos vomitu rejici: imo non deſunt qui affirment, ſuppoſitorium alligatum femori, ad ſuperiora raptum, per os exiiſſe. Sed quàm multa in obſervando commiſſa ſint menda, quàm futiliter & vanè multi in mirabilibus enarrandis operam perdant, norunt illi omnes, qui in legendo obſervationum particularium cumulo, quo non obruitur, ſed opprimitur prorſus medica ars, tempus inutiliter tranſigere coacti ſunt (a). Morgagnus, quae de ileoſis proximè propoſuimus, accuratè examinans, in adverſariis anatomicis primùm ea ſi non omninò negat, in dubium ſaltem revocare videtur. Poſtea in eximio opere de cauſis & ſedibus morborum, &c. eandem rem tractans, eruditè quidem, ut ſolet, eam perſequitur, atque exempla expulſionis excrementorum per os novo examine percurrens, nec tamen in negativam ſententiam tam arctè propendens, in id incumbit, ut rationem eorum ex anatome reddat. Sed ab eo labore ſuperſedere potuit bonus ſenex, nihil enim (quod ipſe non diffitetur) tam rectè dici poteſt, quin poſsit probabili conjectura impugnari (b). Ego autem ſic exiſtimo, ſtercora in inteſtinis craſsis (eorum enim hic locus proprius eſt) numquam diutius detineri, niſi quod horum vis in illis immutandis praeter naturam inverſa ſit, aut nimio calore & inflammatione indurata & reſiccata (c), quae duae cauſae generales ſunt adſtrictionis alvi. In iis, qui ileo conflictantur, ſtercus antea in inteſtinis praeexiſtens non aſcendit ad os, cùm ipſe viderim, ſub initiis hujus morbi ea ſtercora per infernam alvum aegros excernere, quae ante morbum cumulata erant, quo facto ita clauditur inferior venter, ut progrediente morbo, parùm, aut nihil dejiciatur. Id ipſum ante me vidiſſe Petrum Salium, ex ejus tractatione de ileo ſatis

(a) *Vide quae de hac re diximus in Praef. ad Hipp. Progn. §.III. pag.54. ſeq.*

(b) Vide Morgag. *Adverſ. anat.III. animadverſ.IX. pag.72. & de ſedib. & cauſ. morb.lib.3. epiſt.34. num.28. ſeq. tom.2. pag.52.*

(c) *Vide Phyſiol.noſtr.tract.3.prop.16. num.83.*

tis patet (a), imo & ipſe Hippocrates in hiſtoria mulieris volvuloſae inquit : *Seceſſus crudi*, *tenues*, *pauci* (b). Ergo per os exit in ileoſis vomitus ſtercori ſimilis ac foedè olens, quod indicat, malum uſque ad ſuperiora inteſtina & ventriculum ita propagatum, ut circa alimenta id efficiant, quod lege naturae craſſorum inteſtinorum proprium & peculiare eſt, foeculentas ſcilicèt ciborum partes corrumpere, & certa putredinis ſpecie afficere. Cùm verò id ipſum inteſtina ſuperiora & ventriculus efficere nequeant, quin & ipſa corrupta ſint, putredine conſpurcata, & in gangrenoſam labem converſa, inde fit, ut ileoſi, quibus ſtercoroſa ſubſtantia per os ejicitur, inevitabili gangrena pereant.

IV.

Hypocondriorum, *hepatis*, *cordis* (oris ventriculi) *partiumque umbilico circumpoſitarum dolores*, *excluſo ſanguine*, *periculo defunguntur*; *non excluſo*, *interimunt* (c).

In doloribus partium ventris ſanguis ſponte fluens ſeu per haemorroidas, ſeu per anum, utilis eſſe ſolet, eoſque ſolvere, ſi validis viribus, conferentia & tolerantia comitantibus, excretio fiat, haec enim omnium accommodatiſsima eſt ad hos morbos tollendos. Si verò viribus languidis, aegro extenuato, morboque diutius trahente, ſanguinis excretio per infernam alvum ſuperveniat, inſtantis mortis nuntia eſſe conſuevit (d). Docemur utique, in his malis ad miſsionem ſanguinis, ad applicationem hirudinum, ad cucurbitas admovendas, non eſſe diutius morandum, validis enim viribus morbi vim infringunt.

V.

Quibus continuò in febris vacatione hypocondrii, *& cordis* (oris ventriculi) *dolor*, *crurumque ac partium inferiorum*, *& unà venter in molem aſſurgit*, *phlebotomia exolvit*, *& alvi pro-*

(a) Vide Petr. Sal. *de Affect. partic. cap.* 11. *pag.* 255.

(b) Hipp. *lib.* 3. *Epid. ſec.* 1. *aegroto* 9.

(c) Hipp. *in Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 11. *ſent.* 25. *pag.* 168.

(d) Vide Hipp. *lib.* 4. *Aphor. ſent.* 23.

fluvium. Ibi tum febricitare, calamitosum, quia diuturnae sunt febres & validae: quin etiam inde veniunt tusses, difficultas spirandi, atque singultus, quae omnia quando exolvi debent, coxarum praegrandis dolor & crurum, aut puris expectoratio supervenit, aut oculis capiuntur (a).

Pulchra sententia observationes continens circa morbos partium ventris cum dolore conjunctos scitu digniſsimas. Qui colicis doloribus per intervalla conflictantur, validis febribus, saepe diuturnis, interdum acutis cum ventris inflatione, & inteſtinorum doloribus corripiuntur. Si inflammatio, horum malorum origo, acuta sit, celeriter aegri morbo defunguntur, quamquam saepiſsimè mors ea omnia excipiat: ex vero enim inquit Aretaeus de his loquens: „ Co„ lici sanè volvulo, & stropho (id est torminibus) celeriter „ necantur (b). At si inflammatio lenta fuerit, temporis tractu ea symptomata, quae in textu referuntur, accedere solent, ut non semel vidimus in iis, qui ex podagra retro pulsa ventris dolores patiuntur. Sed maximè notanda horum malorum solutio, etenim praegrandis dolor coxarum (hoc est, eorum ossium, ex quibus hypogastrii cavitas in infimo ventre constituitur) & crurum, damnum ex inteſtinis avertit. Id unum restat, sub hoc casu in acuta inflammatione phlebotomiam prodesse, non purgationem arte factam: utramque utilem esse in inflammatione lenta, ita tamen: „ Ut „ ubicumque purgationis & phlebotomiae necessarius inci„ dit usus, à phlebotomia auspicandum: qui contra facit, „ tam est in vitio, quàm si ipse manus adferret aegroto, „ quòd morbum alioqui sanabilem ex eventu faciat insana„ bilem (c). Vellem tamen ego, ut tirones imitentur Hippocratem, qui tam religiosus fuit in purgando, ut non, nisi summa necessitate coactus, catarticum exhibendum putavit, ac solo clystere contentus medicinam facilè instituerit (d).

(a) Hipp. *in Coac. Duret. lib. 2. cap. 11. sent. 24. pag. 167.*

(b) Aret. *de Caus. & sig. morb. diut. lib. 2. cap. 8. pag. 59.*

(c) Duret. *Com. in Coac. Hipp. lib. 2. cap. 11. sent. 24. pag. 167.*

(d) Vide Duret. *loco citat.*

VI.

VI.

Ex hypocondriorum dolore, febres malignae; quod si & sopor accesserit, pestiferum (a).

Hypocondrii nomine Hippocratem hic praecipuas infimi ventris partes intelligere, censendum (b), atque de iis inflammatis pronuntiata est sententia, ut si diceret, febres acutae ex doloris acerbitate viscerum hypocondriacorum natae, sunt terrificae atque malignae.

VII.

Quibus hypocondria dolent sine inflammatione, his febris superveniens, solvit dolorem (c).

Non utcumque febris hypocondriorum dolores tollit, sed cum inflammatio nulla subest, neque febris ab initiis comitatur, sed postea supervenit. „Ergo (inquit Celsus) „si sine inflammatione dolor est, nihil imponendum est, „hunc enim statim ipsa febris solvet... Nam & praecor- „diorum dolores, si sine inflammatione sunt, finit, & in „jocinoris dolore sucurrit, &c. (d).

VIII.

Cùm intestinum in dextra parte dolebat, & articulari morbo correptus est, quietior erat: postquam autem hic curatus fuit, magis dolebat (e).

Consensum partium ventris cum summa cute ex Hippocratis mente in Physiologia monstravimus (f); at hic earumdem partium consensus cum articulis observationibus confirmatur, etenim saepè vidimus, ventris dolores colico-iliacos translatione in articulos facta solvi, eosdemque ma-

(a) Hipp. *in Coac. Duret. lib.* 1. *sent.* 32. *pag.*17.

(b) Vide Duret. *loco proxim. citato.*

(c) Hipp. *lib.*6. *Aphor. sent.*40.

(d) Celf. *de Medic. lib.*3. *cap.* 10. *pag.*139 *& lib.*2. *cap.*8. *pag.*70.

(e) Hipp. *de Humorib. versf.*205.

(f) *Vide Physiol. noftr. tract.*2. *prop.* 11. *num.*65. *pag.*102.

materia in ventrem iterum reduce, de novo excitari. In iis, qui podagra, ischiade, aliisque articulorum morbis laborant, id passim observamus, ex hisque edocemur, frictiones, extremarum partium lotiones, cucurbitularum applicationem, in doloribus intestinorum magni usus esse debere.

IX.

Quae autem ex papaveris succo, & alterco, & eo modo frigidis composita medicamenta sunt, simul omninò & refrigerant & siccant: qua ratione non solùm ut sensui torporem inducentia salutaria sunt, sed etiam ut humorum tenuitatem cogentia atque crassantia, praeterea vehementem calorem refrigerantia. Ubi verò crassi glutinosique humores exuperant, alienissima sunt quae torporem inducunt, cavendusque magnopere in ejusmodi affectibus eorum usus est (a).

Agit Galenus in hoc loco de sedandis doloribus, sed praesertim loquitur de his, qui intestina occupant, atque talia adducit ad veram praxim documenta, ut hac de re omninò consulendus sit. Opiata, ut vocant, medicamenta in hoc malo à quibusdam summis extolluntur laudibus, ad ea tamquam ad sacram ancoram confugientibus. Contra alii, ea medicamina cane pejus & angue fugienda, existimant. Si intestina ex calida & sicca eorum intemperie, quae ob diuturnitatem *hectica* à quibusdam appellatur, debilia & dolentia sunt, opiata nocent, atque falsas inducias dando, aegrum prorsus conficiunt, debilitatur enim his intestinorum compages, & malum non avertitur, quin potius exasperatur. Si adest inflammatio, aut copia crassorum humorum, vel flatuum proventus, noxia sunt opiata, etenim humores cogendo & includendo, naturam gravant, & debilitant. Adde, hoc mali genus rarò ex humoribus cavitatum, saepe ex his, qui inter tunicas intestinorum continentur, procedere, quibus opiata medicamenta opem nullam afferre, sed cogendo, damna inducere, quivis intelliget.

Do-

(a) Gal. *lib.* 12. *Meth. med. cap.* 8.

Dolent aliquando inteſtina ex ataxia ſpirituum, ſubtili inquinamento affectorum, ut in hyſtericis, iiſque, quibus laxa & debilis eſt inteſtinorum compages. His ergo convenit diffiationem promovere, tranſpirationem ſartam tectamque ſervare, tùm demùm laudanum liquidum ſub moderata doſi praeſcribere. Generaliter certum eſt, eos, qui conſtanti animo cruciatus perferre ſtudent neque medicamentis obtundere, citius certiuſque ex morbo evadere.

X.

Novum illud inventum, nempè clyſma è fumo tabaci, quid hic praeſtet, experientiae relinquitur (a).

Laudandus labor eorum, qui indeſinenter nova inquirunt remedia pro morbis magnis debellandis; curandum tamen, ne praeproperè novis fidamus inventis, ſunt enim multa, quae, ut rectè dicebat Verulamius, primò ſpem inflant, deinde deſtituunt. Apud Heiſterum longè deſcribitur uſus fumi tabaci per clyſterem injecti in ileo curando, tum praeſertim cùm ab hernia incarcerata oritur. Deſcribitur etiam inſtrumentum, quo fumus in inteſtina introducendus, ac multis laudibus & encomiis hoc remedium proponitur (b). Aliud inventum, novam nempè machinam, ante paucos annos fabricatam, ad ileum deſperatum ſanandum, longa oratione communicat Antonius de Haen, atque litteras à Medico Mediolanenſi (in Italia enim haec machina excogitata eſt) ſibi datas proponit, multiſque experimentis in canibus factis, quibuſdam etiam corolariis & problematibus adjectis, exornat. Sed poſt haec omnia: „ Jure, in-
„ quit, Italos Medicos & Chirurgos laudandos, qui in vi-
„ vis hominibus, ne una vice nimiùm urgendo obeſſent,
„ lentè adeo, & prudenter progreſsi ſunt (c). Hippocrates folle fabrili flatum in ventrem immitebat in hoc malo, ut ventrem & inteſtina diſtenderet, deinde extracto folle clyſterem

(a) Junker. *Conſpect. Medic. Pract. tab.* 108. §. *VII. pag.* 850.
(b) Hiſteir. *Inſtit. Chirurg. part.* 2. *ſec.* 5. *cap.* 161. §. *VI. pag.* 983.
(c) Haen *Ratio med. tom.* 4. *part.* 8. *cap.* 5. *pag.* 192.

rem adhibebat (a). Denique ne quid intentatum relinqueretur, globulos plumbeos, & argentum vivum, hauſtis quandòque libris tribus, in aqua calida propinare non dubitarunt homines alioqui non ineruditi. Sed ut rebus arduis fieri ſolet, alii hoc remedii genus tamquam ſuſpectum rejecerunt. Ego autem non video, qui poſsint inteſtina tam diro morbo debilitata immane adeò metallorum pondus ſuſtinere, quin oneri prorſus ſuccumbant. Nec video etiam, qua ratione inflammatis inteſtinis prodeſſe poſsint metalla humanae naturae infenſiſsima (b). At, inquies, plumbum & mercurius non adeo noxia ſunt, quin imo tamquam optima remedia interdum aſſumuntur. Scio equidem, nihil tam abſurdè fieri poſſe, quod non aliquando apud cordatos homines approbetur. Scio etiam, in Anglia & Scotia noſtris diebus inductum eſſe novum morem apud homines integrè valentes, mercurium vivum ad uncias duas aſſumendi horis matutinis (c). Sed novitatis amor haec, aliaque plura abſurdiſsima in uſum induxit, quae matura inſpectio ſenſim emmendavit. Ego, fateor, numquam hoc remedii genus praeſcripſi, ſed propono, ne tirones ignorent quae à gravibus ſcriptoribus traduntur: neque diſplicet Vanſwietenii hac de re judicium, qui ita loquitur: „Negari tamen non poteſt „in morbo hoc adeo periculoſo tentari poſſe & uſum re„medii, licèt ſuſpecti, ſi ſpes ſit, imminentem mortem „ſic evitari poſſe (d). Quod ad plumbum attinet, notiſsimum eſt, metallum eſſe noſtrae naturae inimiciſsimum, neque id probationibus indiget, cùm apud innumeros fermè noſtrae artis ſcriptores ampliſsimè demonſtratum ſit, imò & inteſtina praeſertim offendere, communi ferè omnium conſenſu innoteſcit. Hinc non ſolùm à foro medico, ſed ab arte coquinaria excludenda eſſe vaſa omnia ex plumbo, & aere confecta, experti omnes rectè conſulunt. Legendus hac de re Vanſwietenius, qui colicam Pictonum his de cau-

(a) Hipp. *de Morb. lib.* 3. *verſ.* 179.

(b) Vide Sydenham. *Obſerv. Medic. ſec.* 1. *cap.* 4. *pag.* 10.

(c) *Vide Acta & Obſerv. Societ. Edimburg. tom.* 3. *art.* 31. *pag.* 475. *& tom.* 2. *art.* 34. *pag.* 481.

(d) Vanſw. *Com. in Aphor. Boerh.* § 964. *tom.* 3. *pag.* 180.

cauſis natam obſervaſſe affirmat (a). Lectu etiam dignae ſunt duae diſſertationes de hoc morbo, ex metallicis vaporibus, plumbeis praeſertim, orto, quae extant apud Diſputationes Pathologicas curis Halleri editas (b), quamquam non injucunda eſt, quae ibidem extat, de venae ſectione in cubito in colica Pictonum, diſputatio, à Joanne Aſtruc adlaborata (c). Sed omittere hic nec poſſumus, nec debemus, Valleſium noſtrum de hoc argumento egiſſe, veterum omnium uſque ad ſua tempora teſtimonia collegiſſe, ut probaret, vaſa omnia ex plumbo, aere, ſtanno (ne excepto quidem argento) pro uſu pharmaceutico, & culinario, hominum ſaluti multum officere (d): indeque à prudentiſsimo Principe Hiſpaniarum Rege Philipo II. lege cautum eſt, nè Pharmacopolae, in aquis deſtillandis, vaſis aeneis, etſi ſtanno obductis, ſed vitreis tantùm, uterentur (e). Cùm verò praedicta remedia, non, niſi magna cautione, magna etiam urgente neceſsitate, applicanda ſint, id, benè monente Morgagno, ſub initiis morbi feſtinatè efficiendum, dum valida adhuc ſunt viſcera: eo autem jàm multum progreſſo, inteſtinis fracidis & ad ſphacelum properantibus, ſuſpecta omnino haec auxilia ſunt (f).

XI.

Sed inteſtinis hactenus acutè dolentibus perierat prius omnis doloris ſenſus: nemo enim (ut Senecae verbis id efferam) poteſt valdè dolere, & diu... Sed mali augurii eſt, dolorem hac ratione deliniri, & alvum ex indolentia fieri citam... accenſa quippe inteſtina ut facilè emoriuntur, ſic amittunt victa facillimè ſenſum doloris, & praecipitant aegrum non tàm in ſudorem frigidum, quàm ipſam mortem (g).

(a) Vanſw. *Com. in Aphor. Boher.* §.1060. *tom.*3. *pag.*357.

(b) Haller *Diſp. Pathol. tom.* 3. *diſſert.*85. & 86. *pag.*279. *ſeq.*

(c) Haller *loco citat. diſſert.*84. *pag.* 261.

(d) Valles *Tratado de las Aguas deſtilad. &c. pag.*28. *ſeq.*

(e) *Ley unica, tit.*17. *lib.*3. *de la Recopilacion.*

(f) Morgag. *de Sedib. & cauſ morb. &c. lib.*3. *epiſt.*34. *num.*13. *pag.*47.

(g) Tulpius *Obſerv. Medic. lib.* 2. *cap.*41. *pag.*158. & 159.

Omnis dolor tribus modis ſedatur: ablatione, ſeu correctione cauſae, quae fit victrice natura, aut remediorum ope: ablatione ſenſus, cùm pars emoritur, aut narcoticis obtunditur: mentis defectu, debet enim ea concurrere ad doloris ſenſum (a). Ex his modis prior ſalubris: alter periculoſus aut lethalis: ultimus numquam ſine diſcrimine fit. Ergo ſi colici dolores, & iliaci deficiant, alvus laxetur, & aeger frigidus cum ſudatiuncula appareat, gangrenam ſubeſſe, indicium eſt, atque cita alvus, non ex cauſae morbificae excretione, ſed ex naturae impotentia oritur, quae omnia mors inevitabilis ſequitur. Idem interdum accidere in flatuum expulſione per inferiora in his morbis, dum, victa natura, cum ſignis lethalibus erumpunt, in Illuſtrationibus ad Hippocratis Prognoſtica monſtravimus (b).

XII.

Ubi per haec conſequuti ſumus, ut ex inferiore parte ſpiritus tranſmittatur, offerre potui mulſum tepidum non multum (nam ante magna cura vitandum eſt, ne quid bibat) ſi id commodè ceſsit, adjicere ſorbitionem (c).

Spectat Celſus in malo inteſtinorum acuto, ut flatus per inferna ejiciantur, ad potum & ſorbitionem exhibendam, optimo ſanè conſilio ab ejus duce Hippocrate deſumpto, qui in morbis acutis diaeta tenui, & in acutiſsimis tenuiſſima utebatur (d). Methodicorum mos fuit, in celeribus affectionibus aegros intra diatriton (ſic tres primos morbi dies appellabant) fame macerare, ut paſsim apud Galenum (e) videre eſt. Si umquam alias à cibo & potu aegros abſtineri oportet, certè in acutis inteſtinorum malis id congruere debet, cùm partes iſtae ex morbo laceſsitae nec alimentum ad ſe trahere, multò minus per corpus digerere poſ-

(a) Vide Hipp. *lib. 2. Aphor. ſent. 6. & Pathol. noſtr. tract. 3. prop. 13. num. 62. pag. 525.*

(b) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Prog. ſec. 2. text. 24. pag. 119.*

(c) Celſ. *de Med. lib. 4. cap. 13. p. 222.*

(d) Vide Hipp. *lib. 1. Aphor. ſent. 7. & ſeq.*

(e) Vide Galen. *Method. medend. lib. 8. cap. 6. & lib. 10. cap. 6.*

poſſunt. Quod ſi ob aegri debilitatem, anni tempus, conſuetudinem, ipſum alimento reficere conveniat, paucum id ſit, & ex longis intervallis, ne inteſtina graventur. „ Victum „ valdè tenuem (inquit Sydenhamius de iliacis loquens) aegro „ praeſcribo, ita ut non niſi cochlearia aliquot juſculi, ex pullo „ gallinaceo parati, ſorbenda bis vel in die permittam (a). Fatendum tamen, paulò liberalius potum ex aqua ſimplici & frigida concedi poſſe, etenim morbus poſtulat humectationem cum refrigeratione, & ſi forte: „ Qua intemperan„ tia ſubeſt, tutior eſt in potione, quam in eſca (b).

XIII.

Dolores, qui in ventre fiunt, elevati quidem, leviores: non elevati verò, vehementiores (c).

In hujus aphoriſmi commentario ait Galenus, dolores ventris elevatos ab Hippocrate vocari eos, qui continentes abdominis partes occupant, adeo, ut quicumque ſupra peritonaeum fiunt, ſublimes vocentur: qui verò infra, hoc eſt, in ipſis inteſtinis atque ventriculo, non ſublimes, ſeu non elevati dicantur. Qui in praxi ſunt exercitati, non ſemel viderunt, dolores modò leves, modò acerbiſsimos, nunc fixos, nunc vagantes, ventris partes moleſtare, qui longè à colicis & iliacis diſtant, neque horum ſymptomatibus propriis & peculiaribus ſtipantur, ſubinde revertentes, non acuti, ſed in longiſsimum plurium menſium, & aliquando annorum terminum ſeſe extendentes. In his curandis venae ſectiones & purgationes, atque quorumvis remediorum multiplex farrago nihil aliud efficit, quàm morbum exaſperare, & aegrotantem conſumere. Igitur eos tempori, naturae, & aetatum mutationibus committere: balneationibus: diaeta humectante, aliiſque rebus non naturalibus mediocriter ac temperanter uti, maximum remedium eſt. Videre utique convenit Carolum Piſonem, ſcriptorem optimum,

(a) Sydenh. *Obſerv. Medic. ſec.* 1. *cap.* 4. *pag.* 10.

(b) Celſ. *de Medic. lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 23. Vide Hipp. *lib.* 2. *Aphor. ſent.* 11.

(c) Hipp. *lib.* 6. *Aphor. ſent.* 7.

mum, qui de ventris doloribus longè & accuratè tractavit, etsi nimio medicamentorum usu, sui temporis more, curationem instituat (a).

CAPUT XI.

DE JECORIS INFLAMMATIONE.

VEteres Graeci hepaticos vocabant eos, qui hepatis phlegmone afficiebantur, quod vocabulum postea ad alios hepatis morbos translatum est (b). Galenus hepatis inflammationem hepatitim à Graecis vocari dixit (c), quo nomine apud recentiores communiter indigitatur. Ergo hepatitis seu inflammatio hepatis est: *Praeternaturalis jecoris excandescentia cum febre acuta, & hujus visceris tumore.* Adest ergo in omni jecoris inflammatione tumor, crescit enim, dum inflammatur, hujus visceris moles, ut aliquando phlegmon, quandoque erysipelas ipsum occupet: unde necesse non est, ut tumor in magnam semper magnitudinem accrescat, cùm interdum phlogosis, non multùm aucta hujus partis mole, eam molestet. Indè fit, ut excandescentia & febris modò graves multumque sensibiles sint, modò obscuro atque lento igne tantùm patefiant. Haec affectio morbus est in intemperie omnis generis, organo vitiato, & aliquando etiam unitate soluta, ut inflammationibus commune esse solet, quemadmodum in Pathologia monstravimus (d). Inter hujus morbi differentias ea praecipuè adnotanda, quae partem affectam respicit, nam etsi hepar in hoc malo perpetuò afficiatur, tamen modo pars gibba diaphragmati vicina, modò pars cava stomacho proxima inflammatur. Quae ex magnitudine & parvitate in caeteris morbis desumitur differentia, hic maximè locum habet, quia interdum inflammatio magna est, totumque ventrem elevat,

(a) Carol. Pis. *de Morb. à prolluv. seros. sec. 4. cap. 2. pag. 267. seq.*

(b) Vide Foes. *Oecon. verb.* Ηπατικοι, *pag. 263.*

(c) Galen. *com. 3. in lib. 1. Epidem. Hipp. text. 4.*

(d) *Vide Patholog. nostr. tract. 1. prop. 2. num. 10. & 11. pag. 400.*

vat, aliquando pars parùm intumeſcit, quae magnitudo quamquam ad ſenſum varia ſit, tamen, quod ad morbi vehementiam attinet, non rarò contingit, ut inflammatio ex mole parva graviori periculo conjuncta ſit, quàm magna.

Occaſionales cauſae omnium morborum plethora, obſtructio, diatheſis, ſicut in omnibus inflammationibus, ut pluries dictum eſt & in Pathologia monſtravimus (a), ſic in hepatis inflammatione perpetuò juncta concurrunt, nam vena portarum, & cava, quae hoc viſcus praereptant, facilè plethoram in ipſo cumulant. Bilis, quae naturae lege ad hepar ducitur, ut in Phyſiologia vidimus (b), obſtructionem cum calore & aeſtu inducit, praeſertim ſi crudi humores, ut fieri ſolet, in hac parte cumulati conjungantur. Diatheſis, qua humores ipſius partis affectae, atque de novo accedentes ſpeciali modo corrumpuntur & vitiantur, hic preſtò eſt, multa enim excandeſcentia cum pauca difflatione ad id non parùm adjuvat, ac, niſi amplitudo venarum ſuccurreret, hepar corruptioni & ſpeciali inflammationi magis adhuc obnoxium foret. Inter efficientes cauſas aër, ut ad caeterarum partium morbos, ita maximè ad hepar inflammandum vim habet, tum calore & aeſtu, ut fit tempore aeſtatis, quo hujus partis affectiones nimium vigent, tum praecipuè vi occulta ipſum laedendo. Diaeta quantum hepati officiat, dum ex rebus calidis, vigiliis, violentis exercitationibus conficitur, omnes norunt. Animi etiam pathemata, uti alias ventris partes, ita potiſsimùm hepar afficere, nullis probationibus indiget (c).

Hepatis inflammatio morbus frequentiſsimus eſt, contra quam vulgus cogitat Medicorum. Quocumque anni tempore invadit, ſed praeſertim vere & aeſtate. Pueros & foeminas rarò, ſenes aliquando, juvenes & viros frequenter adoritur, maximè cum cibis, calidis, potibus ſpirituoſis, nimiis exercitationibus, intempeſtiva venere, aliiſque id genus incommodis, nimiùm excandeſcunt. Sub initiis rigor, poſ-

(a) *Vide Pathol. noſtr. tract. 2. prop. 8. num. 36. pag. 463.*

(b) *Vide Phyſiol. noſtr. tract. 3. prop. XX. num. 91. pag. 164.*

(c) Vide Vanſw. *com. in Aphor. Boher. §. 916. pag. 91.*

poſtea dolor gravis potius quam pungens in hypocondrio dextro, modò fixus & ſtabilis, modò ad ſuperiora uſque ad claviculas & jugulum aſcendens, & interdum, quod magis mireris, per thoracem lateris oppoſiti diffunditur, ut non rarò ſub falſa pleuritidis vagae & inconſtantis ſpecie Medicos fefellerit. Tumefactio ventris, praeſertim partis dexterae, comitatur dolorem, ita tamen, ut ea in magnis atque vehementibus tantùm inflammationibus appareat, ſaepe enim latet in occulto ignis, nec tàm magno tumore, quàm magna vi jecur inflammat. Interea febris eſt acuta, ardens cum pulſu parvo, denſo, celeri. Adeſt praeterea ſitis & oris inſuavitas & amaritudo. Orificium ſuperius ventriculi dolet, interdum etiam regio umbilici. AEger anxius eſt, ad vomendum proclivis, ac frequenter vomitu rejicit corruptos humores bile pallida & flava, nec rarò viridi aut nigra permixtos. Urina flaveſcens, aut inſtar flammae cum ardore ejicitur. Lingua cum virore pallida: cutis ſquallida, ſicca: oculorum album flavedine tinctum: alvus, ſi hepar validum ſit, clauſa, ſin minus, lubrica: ſed excrementa nunc flava, mordentia, acria, nunc albeſcentia inſtar pulmenti evacuantur. Creſcente morbo augentur haec omnia, accedit tamen ſingultus, ſanguinis ſtillae ex naribus, icterus, cardialgia, languor. Morbo ad ſummum ſtatum evecto, praeter haec omnia, mentis alienatio, contractio membrorum, ſumma cutis ariditas, linguae ſiccitas & nigredo, urinarum color obſcurè rubeſcens, febris vehemens, acceſsionibus tamen & remiſsionibus conſtans, inaequalitas pulſuum cum duritie, tenſione, frequentia. His omnibus ſaepe accedunt exanthemata, quae tùm indole, cùm figura, pro aegrorum & temporum conſtitutionibus, varia eſſe conſuevere. Hepatis inflammatio terminatur in ſalutem, mortem, aut in alios morbos mutatur. Si igitur, ea in ſummo vigore conſtituta, pulſus in dies languidiores fiant, tuſsis inanis, & reſpiratio difficilis (quae ſymptomata quoſdam ab initiis comitantur) nimiùm creſcant, ſi frigeant extrema cum viſcerum aeſtu, aut prorſus remittat dolor, permanentibus, imo & auctis propoſitis malis, mors inevitabilis ſequitur. Quod ſi ſub ſtatu morbi ſanguis confertim ex naribus fluat, eumque fluxum ſudor co-

comitetur : aut alvus feratur multis, craſsis, bilioſis excrementis: vel urinae copiosè effluant, ſpes eſt, ſalutem adventuram. Mutatur haec inflammatio in abſceſſum, quo pus efformatur, atque in eo caſu eadem ſigna atque ſymptomata apparent, quae in pectoris ſuppurationibus declaravimus. Solet etiam tranſire in ſcirrum immedicabilem, quod ex ſumma partis affectae duritate cum inflammationis remiſsione cognoſcitur. Degenerat etiam aliquando in tertianas febres, quartanas, aut erraticas, quae unica eſt harum mutationum ſpectabilis, cùm jam praedictae poſt multos labores tum demùm lethales eſſe ſoleant. Jecinoris inflammatio morbus acutus eſt, ac non rarò acutiſsimus, atque maxima pernicie perpetuò comitatus, cùm numquam facilis ex eo curatio ſpectanda ſit. Hucuſque deſcripſimus veram hepatis inflammationem, ſed advertere expedit, jecur interdum phlogoſi lenta conſumi, quae incautos facilè decipiat, omnia enim quae aeger tunc patitur, mitiora ſunt, atque excandeſcentia adeo levis parvaque apparet, ut dolor, gravitas, totuſque morbus magna potius reſpiratione, cutis defoedatione, membrorum impotentia. Deprehendi potius quàm tactu debeat, ipſumque vitium quandoque acutiſsimum eſt, celeriterque interficit, idque Aretaeus ſub *venae cavae acuto morbo* deſcripſit, noſque alibi adduximus (a), aut multis ſaepe menſibus trahitur, ut iis contingit, quibus impetigines, aliaque exanthematum genera faciem, ſummamque cutim defoedare ſolent.

Ad inflammationem hepatis tollendam prodeſt venae ſectio ex brachio ſemel & iterum celebrata ſub ipſis morbi initiis: neque tamen multum ſanguinis extrahendum, quia haec pars, etſi multum calida ſit, citò frigeſcit & debilitatur. Purgatio, incipiente morbo, minimè inſtituenda; at remiſſa jàm febre & ſymptomatibus, ſi natura integrè rem non conficiat, levi cathartico morbi reliquiae auferendae. Pro morbi decurſu neque multa medicamenta, neque nimia feſtinatione auxilia praeſtanda, multis enim re-

me-

(a) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Progn. ſec. 1. tex. 27. pag. 66. & text. 29. pag. 69.*

mediis natura opprimitur, atque blandis & ſuavibus adjumentis confortatur. Igitur praeſcripto victu tenui ex juſculo pulli gallinacei cum herbis refrigerantibus, ut de aliis inflammationibus dictum eſt, aqua frigida danda ſub augmento morbi, nitro alterata, ſub ſtatu verò modicum camphorae ante ſingulas potiones tutò propinari poteſt, niſi aegri conditio, & ſpirituum ataxia, ut fieri ſolet, medicamentum id ſuſtinere nequeant. De caetero, parùm olei amigdalarum dulcium in juſculo utile eſſe conſuevit. Decocta item ex medicamentis, quae veteres *hepatica*, quoniam hepati ſuccurrere credebant, recentiores *ſaponacea*, quia mucilagine ſalina gaudent, appellare conſueverunt, locum hic habent, qualia ſunt cichoreum, gramen, intibus, fragaria, agrimonia, & id genus alia: curandum tamen ne nimio infrigidantium uſu pars debilitetur, ad quod vitandum parùm ſantali citrini his medicamentis immiſcere & ſimul coquere, veteribus in uſu fuit. Monitum eſt Galeni, unicam ſalutis ſpem in hoc morbo in naturae robore conſiſtere (a), & quidem rectè, niſi enim natura potiorem curationis partem efficiat, vana ſunt, & non rarò noxia multa Medicorum molimina. Arabes Medici, ut videre eſt apud Rhaſem, frigida medicamenta tùm exterius, tùm interius applicabant (b); at Graeci tutiorem viam ſectantes ab iis abſtinebant, nè partis leſae vim infringerent, ac medicamenta lenientia & robur partis conſervantia adaptabant (c). Igitur exterius oleum cucurbitae chalibeatum, prout deſcribitur in Pharmacopea Matritenſi, incipiente morbo ſufficere poteſt (d); at morbo ad ſtatum accedente, parùm camphorae eidem additum confert.

(a) Gal. *Meth. med. lib.* 10. *cap.* 5.

(b) Vide Rhaſim *lib.* 9. *ad Almanzorem, cap.* 67. *pag.* 46.

(c) Vide Holler *de Morb. intern. lib.* 1. *cap.* 35. *pag.* 332. & Duret. *ibidem, pag.* 336.

(d) *Pharm. Matrit. part.* 5. *cap.* 2. *pag.* 279.

APHO-

APHORISMI.

I.

Recto inteſtino inflammato, & utero inflammato, & renibus ſuppuratis urinae ſtillicidium ſupervenit: hepati autem inflammato, ſingultus ſupervenit (a).

Perpetuum non eſt, hepate inflammato adeſſe ſingultum, ſed fermè ita fit, ut ſingultus morbis acutis ſuperveniens hepar, aut partes ipſi vicinas inflammatas demonſtret. Optimè Celſus: „ Frequens, inquit, ſingultus & praeter conſuetudinem continuus jecur inflammatum eſſe ſignificat (b). Hinc diſcant tirones, dum vident hominem, citra morbum acutum, nimium & praeter conſuetudinem ſingultientem, de affecto hepate ſuſpicandum.

II.

Inflammationes, quae in hoc viſcere citra ipſius imbecillitatem naſcuntur, ſi quidem in gibba parte conſiſtant, praecipuè ſi grandes fuerint, perfacilè vel ſolo tactu dignoſci poſſunt: at ſimarum partium inflammationes per alia potius accidentia, quàm per tactum, inveſtigare oportet (c).

Dum jecur inflammatur, totum fermè inflammatione excandeſcit, ſed morbi vis interdum in parte gibba potius quàm cava, & contra, inhaereſcit. Diſtinguendum id ex ſymptomatum praedominio, ſi enim dolor ad cartilaginem mucronatam vergat, tuſsicula & ſpirandi difficultas plurimùm vigeant, gibbam partem maximè affici, cenſendum. Quod ſi, his ſymptomatibus remiſsis, moleſtae admodum ſint nauſea, ſitis, vomitus, & dolor ad umbilicum, & verſus inferiora magis, quam ſuperiora converſus, ſimam jecoris partem potiſsimum laeſam eſſe judicandum. Quod adverte-

(a) Hipp. *lib. 5. Aphor. ſent. 58.* | *pag. 62.*
(b) Celſ. *de Medic. lib. 2. cap. 7.* | (c) Gal. *de Locis affec. lib. 5. cap. 7.*

re expedit, quia malo gibbam partem occupante, per sanguinis effusionem, sudores, urinas magna ex parte solvitur: eo autem in concava parte consistente, vomitu & alvi fluxu maximè dissipatur.

III.

Febres, quas ardentes *antiqui vocabant, magna ex parte advenire videmus jecoris aut ventriculi flammeis dispositionibus... Quemadmodum ubi in universo quoque corpore bilioſi humores ad immoderatum fervorem perveniunt: verùm hae, quae aut jecoris aut ventriculi occasione eveniunt, omnium sunt vehementissimae* (a).

Febrium ardentium fomes, etsi in humoribus per totum corpus bilescentibus, hoc est, in bilem conversis, consistere possit, plerumque in visceribus delitescit. Ergo Medicus attentè inquirat quodnam viscus in iis laboret, ac hepar frequenter affectum inveniet. Nec ardentes modò, sed & quae autumni tempore, sub larva continuarum, tertianarum naturam servant, sedem suam in hepate potissimùm figere, fidis observationibus constat. „ Ubi post fervidissimas & siccissimas aestates (inquit Vanswietenius) autumnali tempore grassantur epidemicae febres continuae „ remittentes, tunc observationes practicae docuerunt, hepar frequenter affectum fuisse, & infarctum spisso sanguine ad atrabiliarem quasi tenacitatem accedente: tunc in „ talibus aegris non apparet quidem saturatus ille flavus ictericorum color, sed facies ceracea quasi est, & pallido in „ dilutissimam flavedinem colore morbi hujus signum dat (b). Observatione didici, hujusmodi febres post benè evacuatam bilioſorum humorum copiam & ardorem temperatum, cortice peruviano tutò fugari (c).

IV.

Dextra parte (in hepatitide) *sub praecordiis vehemens dolor est:*

(a) Gal. *de Locis affec. lib. 5. cap. 7.*

(b) Vansw. *Com. in Aphor. Boher.* §. 918. *pag. 96.*

(c) Vide Gort. *Medic. Hipp. lib. IV. aphor. 173. pag. 270.*

eſt: idemque ad latus dextrum, & ad jugulum, humerumque partis ejuſdem pervenit: nonnumquam manus quoque dextra torpet (a).

In magna & vehementi hepatis inflammatione, quae vehementi dolore, ut inquit Celſus, ſignificatur, manus affecti lateris non modò torpet, ſed interdum cum brachio intumeſcit, quod malum eſſe praeſagium animadverti. Extrema corporis membra veluti viſcerum emunctoria Veteres conſiderarunt, ac in magnis eorum inflammationibus eiſdem veſicantia, cucurbitas, fonticulos, ſynapiſmos, aliaque id genus applicare tentarunt, ut malum ab internis ad exteriora juxta naturae inſtitutum advocarent. „ Mirum fortè (inquit Hollerius) quod nos bis aut ter ob„ ſervavimus, dolores ſurae intolerabiles in febre, qui ne„ que fotu, neque litu, neque cataplaſmatis ceſſerunt. „ Mortuis ergo aegris juſsimus, crura & ſuras aperiri nova„ cula, inventumque pus album, pallidum, leve, aequale, „ ſpatiis inanibus diffuſum, & majore vena concluſum. Atque „ ut notaretur locus unde pus ejuſmodi, aperto ventre, „ vomicoſum hepar & putre inventum eſt. Itaque veriſimi„ liter loco ſanguinis pus per majorem venam in crura & ſu„ ras, quae admodum venoſae ſunt, tranſmiſſum (b). Vanſwietenius hunc locum exagitans, in cruribus natum pus reſorptum fuiſſe, & ad hepar delatum contra Hollerium cenſet (c). Sed quis non videt, haec dicta eſſe ad ſuſtinendum ſyſtema circulationis ſanguinis? Melius Baglivius, etſi hypotheſis ſectator, qui hanc Holleri obſervationem, tamquam rebus practicis conformem, ſincerè proponit, ab auctoris mente minimùm recedens (d). „ Hac ipſa cauſa ego cenſeo (in„ quit Valleſius) ſectionem venae factam in manu dextra „ inter digitum medium & anularem, aut hunc & mini„ mum. .. utilem eſſe in jecoris affectionibus (e).

(a) Celſ. *de Medic. lib.* 4. *cap.* 8. *pag.* 213.

(b) Holler. *com.* 2. *in lib.* 3. *Coac. Hipp. text.* 2. *pag.* 348.

(c) Vanſw. *Com. in Aphor. Boher.* §. 916. *pag.* 86.

(d) Bagliv. *de Prax. medic. lib.* 2. *cap.* 9. §. 12. *pag.* 135.

(e) Valleſ. *Com. in Hipp. Epid. lib.* 2. *ſec.* 2. *text.* 19. *pag.* 62.

V.

Quibus in dextris diſtenſio ſubmollis, phrenitici, niſi ſolvatur deſinente febre (a).

Maximè commendavit Baglivius, ut Medici, aegrorum omnium, praeſertim acutis morbis laborantium, hypocondria tractarent (b). Hoc monitum ex Hippocrate deſumpſit, qui in hypocondriis obſervandis accuratiſsimam poſuit diligentiam, ut conſtat ex prognoſticis. Si ergo Medicus hypocondrium dextrum inveniat diſtentum & dolens cum acuta febre, quod hepatis inflammati indicium eſt, aegrum phreniticum fore jure timeat ob extenſionem mali ad diaphragma, ex cujus inflammatione veram phrenitidem fieri, in priore hujus operis parte monſtravimus. Luculentum hujus rei exemplum praebet Hippocrates in hiſtoria Hermocratis, qui phrenitide ex hepatis inflammatione periit (c). Huic enim, hypocondrii diſtenſio ſubmollis ab initiis accedens, inflammatum hepar ſignificabat. Hac occaſione inquit Valleſius: „ Vix umquam occurrit ulla earum febrium, quae „ vehementer ardent, ut per quas lingua exuſta eſt, & quae „ exeunt de ventre torrefacta, quin aliquod internorum „ viſcerum praecipuè patiatur, habeatque inflammationem, „ aut eam, quam phlegmonem Graeci vocant, aut pro „ hac eryſipelas, aut quam vocant phlogoſim, hoc eſt, ar„ dorem... Atqui ego mox ac uſtionem maximam in fe„ bricitante intueor, ſi phlegmonis interna ſigna, quae di„ ligenter requiro, non apparent, de aliqua tamen tali affec„ tione cogito, & eò curationis rationem dirigo (d). Solent interdum hypocondria ex flatibus diſtendi, quod ex rugitu ventris, facili remiſsione, febre non acuta, & abſentia ſignorum inflammationis non difficilè cognoſcitur, ut ex Hippocrate deducitur in Prognoſticis, noſque in ejus Illuſtratio-

---

(a) Hipp. *lib.* 4. *Epid. verſ.* 348. *apud Valleſ. text.* 107. *pag.* 206.

(b) Bagliv. *de Prax. medic. lib.* 1. *cap.* 9. *de obſerv. hypoc. pag* 39.

(c) Hipp. *lib.* 3. *Epid. ſec.* 1. *aegroto* 2.

(d) Valleſ. *com. in lib.* 3. *Epid. Hipp. ſec.* 1. *aegr.* 2. *pag.* 117.

tionibus declaravimus (a). Hinc aptè Marcianus Valleſium noſtrum inconſtantiae arguit, quòd hunc locum epidemiorum de diſtentione flatulenta intelligit, immemor eorum, quae de eadem dixerat in hiſtoria Hermocratis, ubi eam optimè ex hepatis inflammatione deducit (b): neque fieri poteſt, ut diſtentionem ſubmollem ſequatur phrenitis, quin ea diſtentio ex inflammatione phlegmonoſa, ſeu phlogiſtica viſcerum naſcatur.

VI.

Hepatis dolor, ſi quiſpiam alius, vicina corpora ad conſenſum inducit, nam & ad jugulum uſque porrigitur, & ſpirandi difficultatem creberrimè affert, atque interdum tuſsim quoque ac dyſenteriam, neque rarò nothas coſtas infeſtat (c).

Veteres Medici, in obſervandis naturae actionibus accuratiſsimi, monuerunt, inflammationes partium ventris dolores in pectore uſque ad ſuperiores coſtas utriuſque lateris interdum induxiſſe. „ Dolor (inquit Aretaeus de inteſtino colo acutè affecto loquens) modò ad coſtas uſque ſuperiores aſcendit, quando & ſpeciem lateralis morbi praeſe„ fert, ſiquidem & iſti febricitant: modò ſub ſpureas coſtas „ in dextram aut laevam partem deſcendit, ſic ut jecur, „ aut lien dolere videantur (d). Vidi ego hyſtericas foeminas, eoſque qui flatibus nimium premuntur ſine febre, de dolore ad coſtas conqueri, huncque hyſtericis medicamentis & flatum diſcutientibus tolli, ut inde intelligamus quanta cura & ſolicitudine procedendum, nec facilè pronuntiandum in exacta morborum inveſtigatione. Jecoris inflammationem cum pleuritide, quam *deſcendentem* vocant, ſaepe confundi, auctor eſt Galenus, qui, ea qua erat perſpicacia, hos morbos diligentiſsimè diſtinguit, etſi enim in utroque doleat latus, & interdum coſtae, tamen in hepati-

ti-

(a) *Vide Illuſtr. ad Hipp. Progn. ſec. 2. text. 25. pag. 120.*

(b) Martian. *Com. in lib. 4. Epidem. Hipp. text. 348. pag. 333. Vide etiam com. ad lib. 3. de morb. text. 99. pag. 189. ſeq.*

(c) Gal. *de Locis affec. lib. 2. cap. 8.*

(d) Aretaeus *de Cauſ. & ſig. morb. acut. lib. 2. cap. 6. pag. 19.*

tide dolor gravis est & tractorius, ut non modò diaphragma, sed & superiores partes usque ad jugulum ad inferiora trahi videantur: neque novum est ad jugulum, è regione oppositum, dolorem pervenire (a). Dolor autem pleuriticus acutus & pungens & sine tractione. Respiratio laesa in hepatitide ob diaphragmatis consensum fit, atque adeo neque magna est, neque alibi quam in diaphragmatis situ respirandi molestiam aeger percipit, secus ac in pleuritide, quae respirationem nimiùm offendit, atque ipse dolor eam impediens monstrat, respirandi impedimentum ex ipso latere nasci. Praeterea: „ Linguae & universi corporis color „ alteratur, ubi hepar vitiatum est: sicut rursus thorace „ affecto tussis increscit, atque eo tempore omninò appa„ rent ea, quae tussiendo expuuntur... Verùm nequaquam „ similis est pulsus in hepatis, & membranae costas succin„ gentis inflammatione: ac ne alvi quidem sedimenta si„ milia sunt, quamquam non in qualibet jecinoris inflam„ matione eadem sunt (b). Haec omnia ita accuratè Galenus persequitur, ut si tirones ipsum hac de re consulant, laboris certè non poenitebit. Ex dictis deducimus, ubicumque in lateribus observantur dolores hinc inde vagantes, pleuritidis phoenomena secum non omninò deferentes, ut in quibusdam temporum constitutionibus malignis factum vidimus, suspicari oportere de hypocondriis, aut aliis ventris partibus malè affectis, & dolorem ad superiora extendentibus, quibus vel sanguinis missione, vomitione, catharsi, aut blanda tantùm tractatione pro laesionis varietate occurrendum, nihil enim horum esse perpetuum ad curationem, experientia monstravit (c).

VII.

Titulo magis quam reali effectu his (hepatitide affectis) *commendantur pleraque sanguinem coagulatum resolventia: quae enim efficaciter hoc praestare possent, partium sunt tenuiorum*

(a) Vide Aret. *de Caus. & sig. morb. acut. lib. 2. cap. 7. pag. 19.*

(b) Gal. *de Locis affect. lib. 2. cap. 9.*

(c) Vide Bagliv. *Prax. Medic. lib. 1. appendic. de Pleurit. pag. 28.*

rum & hinc orgaſmum ſanguinis longè praeſentiorem inducunt, quàm partem affectam conſolantur (a).

Mirum! quantum Arabes primùm, deinde Chimici, poſt recentiſsimi Scriptores, omnes tamen nimiùm hypotheſibus addicti, inania remedia pro gravibus morbis extollunt, iiſdemque vires opinione, non re ipſa inventas, atque conſtantes praedicant. „ Abſtinendum verò interius (inquit Hoffmanus de hepatis inflammatione loquens) ab omnibus „ opiatis, narcoticis & ſopientibus, necnon à ſudoriferis calidioribus, quae febrem accendere, vigilias intendere, & „ delirium ſuſcitare valent. Exterius fugiendum regimen nimis calidum... Neque emplaſtra ſaturnina, vel epitemata „ ex aceto & lithargirio admovenda, quae nimis refrigerant & conſtringunt; neque etiam ſpirituoſa applicanda, „ quae fibras rigidiores efficiunt, ac dolores intendunt (b).

CAPUT XII.

DE MORBO REGIO.

ICterus Graecis, morbus regius Latinis, morbus arcuatus, aurigo (c), eſt: *Praeternaturalis totius corporis, praeſertim ſummae cutis, color flavedine tinctus.* Ergo in ictero color plus minuſve flaveſcens adeſſe debet, placuit enim vetuſtiſsimis Medicis ictericos vocare eos aegros, quibus color, praeter naturam in toto corpore, ſed praeſertim in ſumma cute, flavedine tingitur. Verum equidem eſt, alios etiam colores cum flavitie miſceri, ut nigrum, viridem, chlorum, hoc eſt, ex pallido virentem, plumbeum, &c. ſed ex flavedine hujus morbi praeſentia demonſtratur: quapropter nec icterus niger propriè datur, ſed cùm corpus nigredine tingitur, ad cachexiam id referendum. Icterus ſymptoma eſt in affectu corporis, idque nos longè explicavimus in

(a) Junkér. *Conſpec. Medic. pract. tab. 66. §. VIII. num. 6. pag. 546.*

(b) Hoffm. *de Feb. ſec. 2. cap. 7. cautel. & obſerv. §. III. tom. 2. pag. 145.*

(c) *De horum nomin. orig. & ſignif. vide Gorraeum, verb.* Ικτερος, *pag. 267.*

in Pathologia (a), ubi ſtatuimus, morbum hujus ſymptomatis productorem eſſe intemperiem, non ea modò quae in calore, ſed quae in vitiata partium ſubſtantia ſimul conſiſtit. Cùm igitur per temperiei debitae certam corruptionem plus bilis in corpore accreſcit, quàm pro naturae inſtituto, aut hepar officio ſuo bilem trahendi & expellendi non fungitur, neceſſe eſt, ut humor hic nimium redundans totum repleat corpus, ipſumque flavo colore tingat. Pars affecta interdum eſt hepar, aliquando, ſine vitio hepatis, totum corpus; ſed praeſertim ſumma cutis, ventriculus item & inteſtina eſſe conſueverunt, ut citato Pathologiae loco demonſtravimus. Fatendum tamen, morbum hunc, etſi integro hepate ſub initiis conſiſtere poſsit, procedente tamen tempore viſcus hoc vitiare propter connexum, quem naturae lege cum bile habet (b). Differentiae ſpeciales hujus morbi (generales enim in Pathologia adductas hic repetere ſupervacuum eſt) ſunt: prima, qua icterus conſideratur criticus aut ſymptomaticus. Hic eſt qui morbo ingraveſcente: ille dum eodem miteſcente, victrice jam natura, prodit. Sicut enim ſub augmento morborum acutorum aliquando icterus, majoris periculi nuntius, ita ſub fine, morbo devicto, cum ſpe ſalutis naſcitur. Ex his quae icterum comitantur, ex tempore & exeundi modo, juxta ea, quae de evacuationibus ſymptomaticis paulò ante diximus, an morbus regius ſymptomaticus ſit vel criticus, quivis facilè judicare poterit. Altera icteri diviſio eſt, quae ex parte affecta & laedendi modo deſumitur. Conſiderare enim pro curatione expedit an icteri origo in hepate, an in reliquo corpore exiſtat. Per ardentes febres, alioſque acutos morbos: ſub epidemicis quibuſdam conſtitutionibus: poſt aliqua aſſumpta venena: ex colicis doloribus pertinaciſsimis, non quidem perpetuò, ſed cùm certa atque ineffabilis concurrit diatheſis, univerſum corpus ictero inficitur, inculpato hepate: at in inflammatione hujus viſceris, obſtruc-

(a) *Vide Pathol. noſtr. tract. 3. prop. 12. num. 53. pag. 503.*

(b) *Vide Phyſiolog. noſtr. tract. 3. prop. 20. num. 91. pag. 164. ſeq.*

tructione, & ſcirro aliquando ſolet ſupervenire aurigo. Igitur ſub caſu priore humor partium corporis nativus non utcumque in bilem, ſed certa diatheſi corruptam, mutatur ex vi febris, veneni, aut aëris, quod potiſsimùm contingit ſubjectis quibus humores ad bileſcendum ſunt proclives; ſed in altero caſu corpus ictero infeſtatur, vel quia infirmum hepar nec trahit bilem, nec ipſam à reliquis partibus tranſmiſſam recipit, vel etſi recipiat, ad folliculum fellis traducere non poteſt ob obſtructas vias, atque adeo ad corpus refluit. Hic eſt ſimpliciſsimus naturae ordo in bile ſecernenda ex attentis obſervationibus deductus, & praxi omninò conformis, ut clarius ex his, quae in Phyſiologia diximus, concipi poteſt (a). Boheravius amore ſyſtematis quo ſtatuitur, nullibi praeterquam in hepate poſſe bilem conſiſtere atque ſecerni, icterum omnem à jecinore derivavit, eumque in hac parte ſequitur Vanſwietenius eidem hypotheſi nimium adhaerens: cùm tamen vitia hepatis bilis ſecretionem impedientia varia eſſe poſsint, varias indè Boheravius deduxit icteri formas, quas Vanſwietenius candore ſolito non morbi, ſed cauſarum differentias eſſe credit (b), atque adeo non ab omni hepatis inflammatione neceſſariò icterum deduxit, quemadmodum fecerat Boheravius (c).

Inter cauſas occaſionales plethora ad icterum diſponit, hepar nimium replendo, & aptum reddendo phlogoſi & inflammationi. Si ſanguis nimium in corpore redundans, particulis tenuibus & oleo ſimilibus repletus ſit, in bilem facilè converti poteſt, indeque ictero occaſionem dare, ut ex Hippocratis doctrina in Phyſiologia monſtravimus. Multò magis ad icterum inducendum juvat obſtructio, ſeu hepatis, ſeu totius corporis, ſi ex humoribus fiat ad bileſcendum pronis, multuſque calor hominem infeſtet, ita enim fit magnus bilis proventus, qui ob obſtructas vias in corpore detinetur. Neque ignorare oportet, lapillos ſeu calculos in ciſtide fellea inventos pro cauſa occaſionali hujus

(a) *Vide Phyſiol. noſtr. loco ſupr. citat.*

(b) Boher. *Aphor. de Cognoſc. & curan. morb.* §. 914. *ſeq.* Vanſwiet. *in Com.* §. 932.

(c) Vanſwiet. *Com. citat.* §. 918. *pag.* 96.

morbi à magnis viris haberi. Sed omnium maximè ad icterum confert diatheſis, ex plethora enim, & obſtructione poteſt quidem bilis copia augeri, at niſi accedat certa, ſed ineffabilis diatheſis, non ſatis eſt ad colorem flavedine tinctum in univerſo corpore inducendum. Inter cauſas efficientes aër tùm calore, cùm maximè occulta vi icterum producit, ſunt enim certae temporum conſtitutiones, in quibus morbus regius epidemicè graſſatur, ut praeter alios apud Hippocratem videre licet (a). „ Ineunte aeſtate (ex vero in-„ quit Bianchius) praecipuè ſicca & ventoſa cum diuturnis „ aeſtuationibus, in icterum (varii) delabuntur cum virium „ proſtratione, languoribus, inapetentia, interdum & vo-„ mitu, non rarò & diarrhoea bilioſa interpolatè recur-„ rente: nec niſi ad autumnum, refrigerato aëre, ac im-„ bribus emollito, liberantur (b). Diaetam, quae nimium corpus animumque exagitat, aut quovis modo calefacit, icterum producere, quivis intelligit, ſi vel maximè jungantur cruditates ex acribus & obſtruentibus cibis, ita enim bilis multa generatur, nulloque negotio corrumpitur. Ex animi motibus nimium validis, ira praeſertim & moerore quoſdam ictericos factos eſſe, certis obſervationibus monemur (c).

Etſi icterus quamcumque aetatem & ſexum invadat, juvenes & viros magis quàm pueros, hos etiam facilius quam ſenes adoritur. Cùm primùm ſeſe manifeſtat, haec aeger patitur: totius corporis color ſubitò in flavum mutatur, ſed praeſertim oculorum album, frons, tempora ita flavedine tinguntur, ut facies horrenda ſit. AEger interea ſiti vexatur, languet, ad motum impotens redditur, vigilat, cibos averſatur, falſis perturbatur imaginationibus, moleſtatur pruritu, venas ſub lingua habet tumidas & flaveſcentes, difficillimè ſudat, triſtitia & moerore conficitur. Uri-

(a) Hipp. *lib. 1. Epidem. ſec. 2. conſt. 3. text. 3. Vide etiam Tract. noſtr. de Febrib. lingua vernac. cap. 3. pag. 27.*

(b) Bianch. *Hiſt. Hep. part. 3. de Ictero, § V. pag. 318.*

(c) Vide Hoffm. *Special. morb. Pathol. pars 4. cap. 12. tom. 3. pag.* 303. & Deſauvag. *Noſol. Method. claſ. 10. § XXX. num. 4. pag. 483.*

Urina flava, ut dici ſolet, intenſiſsimè, at ferè ex obſcuritate ad nigredinem vergens, atque linteolum in ipſa immerſum flavo colore tinctum extrahitur. Pulſus inanes: febris interdum nulla, ſed nocturnis horis omnis ictericus calore & inquietudine moleſtatur. Quibuſdam alvus, bilioſa, multa, pulmentaribus mixta: aliis dura, coacta, canum ſtercori ſimilia, albeſcentia, dejicit. Si malum ob viſcera nimium labefactata, ſeu phlegmone, ſcirro, aut calculis obſtructa altas radices habeat, praedicta omnia mordicus permanent, eoſque poſt anxietates, languores, aliaque hujuſmodi incommoda hydrops ſequitur, qui tum demum inevitabili morte aegros conficit. Interdum colliquatione & contabeſcentia finem vitae claudunt. Quod ſi viſcera ſana, aut levibus malis affecta ſint, neque error in diaeta comitatur, benèque inſtituatur curatio, poſt aliquot labores ſpectata ſalus venire ſolet. Morbus hic longus eſt, numquam facilè ſanandus, quamquam pueri facilius, ſenes non niſi difficillimè ab eo liberentur. Atque advertere convenit, iterum, ſeu ob temporum conſtitutionem, ſeu ob errores in victu, vel ob pravam curationem, hepatis phlegmonem ſaepe lethalem poſt ſe trahere.

Venae ſectio in ictero noxia eſt, malum enim hoc numquam ſine bilioſa cacochimia eſt, atque ex vero monuerunt veteres, bilem impedire ſanguinis miſsionem (a). Quod ſi plenitudo fomitem morbo dederit, abſtinentia, exercitiis, balneationibus minuenda eſt: in his tamen omnibus ita agendum, ut ne quid nimis. Purgatio ſub initiis periculoſa, numquam enim morbus regius ſine magno labore eſt, atque cathartico medicamine viſcera calefacta nimium irritantur. Ergo prius praeparanda eſt materia, viaeque aperiendae, ut tum demùm purgatio utilis eſſe poſsit. Sunt qui amara medicamenta in delitiis habent, ut abſinthium, centaurum, gentianam, aliaque hujuſmodi; verùm: „ Haec „ ipſa (inquit Hoffmanus) plus ſaepe detrimenti, quàm emo„ lumenti afferre, multiplici edoctus experientia teſtor (b).

(a) Hipp. *lib. de Humorib. verſ.* 198. Gal. *com.* 3. *in lib. Hip. de Humor. text.* 33.

(b) Hoffm. *Spec. Patholog. part.* 4. *cap.* 12. *cautel.* §. *IV. pag.* 306.

Idem de vino, & ſpirituoſis medicamentis ſentiendum, monet hic auctor (a). Saponem venetum aqua dilutum, aut decocto quinque radicum aperientium, laudat Vanſwietenius, hoc enim remedium concreta ſolvere, blandè abſtergere, & ad expulſionem diſponere credit (b). Sed hoc remedii genus, etſi in communem fermè uſum redactum ſit, fateor, nondum mihi innotuit, quid magni fecerit, non modò in ictero, ſed aliis etiam morbis, ubi à Medicis frequenter praeſcribitur. Laudat Tozzius aquam ex *albo albi*, compoſitam ex albumine ovi quouſque in ſpumam abierit conquaſſato & cum aqua graminis permixto. „ Haec autem (in-„ quit) manè & veſpere jejuno ſtomacho ad uncias qua-„ tuor pluries exhibita, mirum quàm tutò foeliciterque icte-„ rum quemcumque ſanet, etiam ubi caetera non profece-„ rint, quod ſanè milles expertum (c). Non ſpernendum utique hoc remedium; ſed an tantas & tam mirabiles vires habeat in ictero, non auſim affirmare. Id certum eſt, hoc malum lenire hepatica medicamenta temperata, diluentibus mixta. Si ex aequis partibus ſuccorum depuratorum cichorii, borraginis, intibi, & becabungae, ſeu ejus loco fumariae, fiat ex arte ſyrupus, magni erit uſus in aurigine tollenda. Praeſcribendus tamen aqua graminis benè dilutus. Decocta item ex radicibus fragariae, cichorii, graminis, additis foliis taraxaci, agrimoniae, pimpinelae, cum floribus ſambuci, violarum, ex arte confecta mirè proſunt. Oleum amigdalarum dulcium in juſculis ad ſaburram primarum viarum ſuaviter deliniendam & evacuandam, multùm confert. His peractis, ſi purgationem inſtituere in animo ſit, ex blandis catharticis, ſed praeſertim rhabarbaro & manna, addito tartaro ſolubili, componenda eſt. Neque omittendum, plurimum ad icterum tollendum conducere quod Celſus conſulit his verbis: „ Per omne verò tempus utendum eſt „ exercitatione, fricatione, &, ſi hyems eſt, balneo: ſi aeſtas, „ frigidis natationibus: lecto etiam & conclavi cultiore, uſu,

„ lo-

(a) Hoffm. *loco citat.* §. *VIII.*
(b) Vanſw. *Com. in Aphor. Boerh.* §. 950. *pag.* 128. & 137.
(c) Tozzi *Com. in lib.* 4. *Aphor. Hipp. ſent.* 62. *pag.* 136.

„ loco, ludis, laſcivia, aliis, per quae mens exhilaretur, „ ob quae regius morbus dictus videtur (a). Nec facile eſt morbum invenire, pro quo tollendo tanta excogitata ſint remedia partim empirica, partim ſuperſtitioſa. Illorum plurima videre licet apud Plinium (b). Horum ſpecimen quivis reperiet in nugatore maximo Dolaeo, qui, cùm hujus generis multa proponat, his verbis concludit: „ Sequens ex- „ perimentum neminem facilè fallet: urinam aegroti inde „ ollae, quam tegula cooperi, & ad medietatem coque, & „ fimo equino abſconde (c). Vaniſsima quidem ſunt hujuſmodi aſſerta, ſed ideo adduxi, ut tirones intelligant, quàm cauti eſſe debent in adoptandis remediis, & quam futiliter de eorum viribus auctores alioqui famigerati loquantur.

APHORISMI.

I.

Quibus in febre morbus regius ſupervenit ante ſeptimum diem, malum eſt (niſi confluxus humorum per alvum fiant) (d).

II.

Quibus in febre, ſeptima, aut nona, aut undecima, aut quatuordecima morbus regius ſupervenit, bonum eſt: niſi dextrum hypocondrium durum ſit: alioqui non bonum (e).

III.

In ictericis hepar durum fieri, malum (f).

IV.

In febre bilioſa, ante ſeptimum diem cum rigore morbus regius accedens, ſolvit febrem: verùm ſine rigore, ſi accedat extra temporis occaſiones, pernitioſus eſt (g).

Ex

(a) Celſ. *de Medic. lib. 3. cap. 24. p. 176.*
(b) Plin. *Hiſtor. Natur. lib. 26. cap. 12. pag. 409. & lib. 30. cap. 11. pag. 536.*
(c) Dol. *Enciclop. Medic. lib. 3. cap. 8. pag. 269.*
(d) Hipp. *lib. 4. Aphor. ſent. 62.*
(e) Hipp. *lib. 4. Aphor. ſent. 64.*
(f) Hipp. *lib. 6. Aphor. ſent. 42.*
(g) Hipp. *de Vict. rat. in acut. ſec. 4. verſ. 279.*

Ex hac doctrina occasionem arripuit Plinius Hippocratem carpendi, ita enim loquitur: „ Morbum regium in „ oculis praecipuè mirari est, tenuitatem illam densitatem- „ que tunicarum felle subeunte. Hippocrates à septimo die „ in febre mortiferum signum esse docuit: nos scimus vi- „ xisse aliquos etiam ab hac desperatione (a). De hac ipsa sententia ita Averroes loquitur: „ Et dicit Hippocrates, icte- „ ria veniens ante septimum diem in acutis febribus, ma- „ lum est. Reprobatum est experientia in omnibus nostris „ terris, etsi veniat in quinto die laudabile multum est viva „ ratione, & maximè in temporibus calidis, & corporibus „ calidis: & haec sententia Collegiorum Medicorum om- „ nium Persarum & Indiae majoris, &c. (b). Sed Plinius mortiferum esse dicit, quod Hippocrates malum esse pronuntiavit, quod non desperationem significat, sed periculum. At laudabilem multum esse icterum die quinto acutae febris apparentem, ut Averroes ait, minimè censemus, tametsi aliqui evaserint; per multa enim discrimina à morbo esse liberatos, experti credimus. Videndus utique Vallesius noster, qui nervosè, ut solet, Hippocratis sententiam ab horum scriptorum objectionibus vindicat (c). Ergo harum sententiarum doctrina practica huc redit: si icterus in febribus acutis ante diem septimum appareat, etsi non prorsus mortiferum, periculosum tamen id est; quod si rigor icterum praecedat, constantibus viribus, minus subest periculi, idem enim tunc contingit quod in febribus ardentibus, dum rigore superveniente judicantur (d): defunguntur tamen periculo aegrotantes, ubi ictero apparente, etiam sexto die, magna fit humorum expurgatio per urinam, aut per alvum, aut larga sanguinis è naribus perfusione, ita enim multos levatos esse in Epidemica constitutione narrat Hippocrates (e), nosque in praxi vidimus. Contra Hermocrates,

(a) Plin. *Histor. Natur. lib. 26. cap. 12. pag. 409.*

(b) Averr. *Colliget lib. 4. cap. 43. pag. 39.*

(c) Vallesi. *Controv. lib. 10. cap. 9. pag. 156. & Com. in lib. 1. Epid. Hipp. sec. 3. text. 65. pag. 18.*

(d) Vide Hipp. *lib. 4. Aphor. sent. 58.*

(e) Vide Hipp. *lib. 1. Epid. statu 3. text. 3. & Illust. nost. ad hunc loc. p. 104.*

tes, & Apollonius, qui facti ſunt icterici ante ſeptimum diem, nec tamen debitè expurgati, periere (a). Quod ſi icterus poſt diem ſeptimum appareat, bonum eſſe conſuevit, non tamen *tutus*, ut inquit Celſus, quem ex Galeni doctrina in Illuſtrationibus ad Hippocrates Epidemica emendavimus (b). Quocumque autem tempore icterus manifeſtetur, ſi hepar durum ſit, malus & fermè mortiferus eſſe deprehenditur, haec enim duritas phlegmonem, ſcirrum, aut tenaciſsimam obſtructionem indicat, quae nec naturae vi, nec ullis artis auxiliis tolli poteſt.

V.

Icterico, laborare, ſudare, panem comedere, bibere non multum, lavari caput multo & calido, aut potius tepido, vinum album, ſomno non multo uti (c).

Curatio, quam hic proponit Hippocrates, minimè convenit ictero febribus acutis ſupervenienti, ſed qui ſublato jam morbo permanet, ut in quibuſdam criſibus fieri ſolet, aut cùm icterus chronicus eſt ſine febre, neque hypochondria dura ſunt, his enim caſibus congruunt ea, quae in textu adducuntur. Icterici languidi & hebetes ſunt, atque ad hydropem proclives, quoniam aqueo & crudo humore ſimul cum bile replentur. Sunt praeterea parùm diſpoſiti ad ſudorem, utpote ſumma cutis bile & craſſo humore obſtruitur. Hinc parùm bibere, ſudare, laborare, non multo ſomno uti, corpus humiditatibus liberat, atque bilem diffflari facit, quae omnia ſanè in ictero curando plus valent, quàm magnifica & pompoſa quorumvis Pharmacorum promiſſa. Sed adnotatione dignum eſt, Hippocratem hic, ſicut & alibi, capiti remedia applicare, quoniam ex oculorum colore foedato, cerebrum bile ſuffundi in hoc morbo, rectè conjicimus. „ Meritò (inquit Valleſius) capiti adhibetur in „ hoc malo major cura & praeſenti loco, & ſecundo & „ ter-

(a) Hipp. *lib.* 3. *Epid. ſec.* 1. *aegrot.* 2. & *ſec.* 3. *aegrot.* 13.

(b) *Vide loco proxim. citat. pag.* 105.

(c) Hipp. *lib.* 7. *Epid. text.* 67. *Edit Valleſ.*

„ tertio de morbis, & ubi icteri tradit curationem, quia „ color tunicarum oculi indicat cerebri membranas, qua- „ rum eae ſunt productiones, bile etiam eſſe imbutas... „ Bibere jubet non multum, quia exiguus potus abit in re- „ nes, qui copioſior eſt, regurgitat etiam in totum habi- „ tum (a).

V I.

Icterici multùm foedati pereunt: alba dejectio iis unà ſecedit (b).

Obſervationibus fidis notum eſt, quibuſdam ictericis ita colorem foedari, ut univerſum fermè corpus intenſiſsima flavedine tinctum ſit, indeque non cutis modò, ſed & oſſa ipſa interdum hic morbus flavedine inficit, numquam è ſceletis eluenda (c). At eam mutationem coloris funeſtam eſſe, quivis intelligit, non enim ſunt in natura vires ad intemperiem hujus coloris productricem tollendam. Excrementa alvi non perpetuò alba ſunt in ictero, ſed ubi inteſtina craſſa, quorum proprium eſt excrementa formare & tingere, vi morbi ita afficiuntur, ut eorum vis aut multùm depravata, aut fermè abolita reperiatur, quod malum ſignum eſſe facilè colligitur (d).

V I I.

Strenui vinipotae frequenter ventriculi languoribus, aut colicis, aut articularibus affectibus corripiuntur, quos tamen his omnibus non rarò ſolutos vidimus per ſubitum ſalutarem icterum. Ira correpti in ſtatum quandoque valetudinarium decidunt, niſi icterico affectu corripiantur. Hiſtericae interdum paſsiones per icterum ſupervenientem ſolvuntur... Icteri hujuſmodi nullam ex ſeſe curativam praxim depoſtulant (e).

Cum grano ſalis haec omnia ſunt intelligenda. Ira correp-

(a) Valleſ. *Com. in lib.7. Epid. Hipp. text.67. pag.416.*

(b) Hipp. *in Coac. Duret. lib.1. ſent. 38. pag.20.*

(c) Vide Morgag. *de Sedib. & cauſ. morb. epiſt.37. num.7. pag.74.*

(d) *Vide quae de albed. foecum adduxim. in Phyſiolog. tract. 3. prop. 16. num.83. pag.149. ſeq. & prior. huj. oper. part. lib.1. cap.2. aphor.5. pag.11.*

(e) Bianch. *Hiſt. Hep. part.3. Canon. de Ictero, §.V. pag.318.*

repti interdum ex ictero à magnis morbis liberantur: non rarò autem ictero ſuperveniente moriuntur, ut obſervationes notatu dignae apud Morgagnum demonſtrant (a). Sed haec ſors ictericorum non ab ira tantùm, ſed à conſtitutionibus temporum, aliiſque hujuſmodi cauſis varia eſſe ſolet, ut conſtanti experientia comprobatum ſit: „ Alium „ icterum valdè eſſe contumacem ac diuturnum, & difficul„ ter admodum medicamentis expugnari: alium brevi tem„ pore ceſſare, & remediis facilè cedere (b). Cùm humor (c) partium nativus ex humido glutinoſo & ſpiritu coaleſcat, fit aliquando, ut infecta tantùm parte ſubtili „ (Gignuntur enim halitus bile infecti, & corpus, ubi in„ ſederint, colorant (d)) morbus per difflationem, tranſpirationem, & exhalationem facilè diſsipetur. Quod ſi infectio ipſam partium ſubſtantiam occupet, difficilè admodùm: ſi accedat viſcerum duritas, nullo prorſus modo, tollitur. Jàm verò cum hiſtericae affectiones ſpiritus praecipuè exagitent, nihil mirum in foeminis, ut benè obſervavit Sydenhamius, colica hiſterica affectis, icterus fugax cum dolore repetens, quandoque appareat (e), nullis artis auxiliis indigens, cùm ſponte ſua ſaepe evaneſcat.

VIII.

Conſtanti experientia comprobatum deprehendimus... alium (icterum) *perpetuò inhaerere, alium tantùm ſtatis reverti periodis, & certas modò horas perdurare* (f).

Comitatur aliquando icterus febres intermittentes, tùm tertianas, cùm maximè quartanas, atque earum paroxiſmos conſtanter ſequitur, & remediis febrem tollentibus curatur. Sine febre etiam icterus periodicus obſervatus eſt,

(a) Morgag. *de Sedib. & cauſ. morb. epiſt.* 37. *num.* 2. *ſeq. tom.* 2. *pag.* 73.

(b) Hoffm. *Special. Pathol. part.* 4. *cap.* 12. §. *V. pag.* 302.

(c) *Vide Phyſiol. noſtr. tract.* 2. *prop.* 8. & 10.

(d) Aret. *de Cauſ. & ſig. diut. morb. lib.* 1. *cap.* 15. *pag.* 45.

(e) Sydenham. *Obſerv. Medic. ſec.* 4. *cap.* 7. *pag.* 42.

(f) Hoffm. *Special. Pathol. cap.* 12. §. *V. pag.* 302.

qui ex certa temporum conſtitutione, quemadmodum periodi omnes, oritur (a), ut enim alibi ex Hippocrate vidimus, per periodos certas moveri, convenit & omni febri, & omni morbo (b).

IX.

Hydrops iis inſidiatur, quibus gravis aurigo longaque fuit; etenim ſpatio niger quoque lapillus in bilis concreſcit folliculo, quem caſum numquam ferè non hydrops ſequitur (c).

Ab antiquis uſque temporibus adnotatum eſt, calculos in veſica fellis generari, ut innumerae ferè ſint auctorum obſervationes de lapillis in eo folliculo repertis. Magna inde orta eſt diſcordia, affirmantibus aliis eos lapides cauſam eſſe icteri, aliis contra oſtendentibus, ſaepius ſine icteро ullo repertos eſſe, qua de re videndus utique Morgagnus, qui omnes fermè auctores pro utraque parte diſputantes adducit, neque, calculos veſicae fellis, ubi exiſtunt, perpetuò icterum adducere, credit (d). Vanſwietenius etſi concedat poſſe interdum calculos in folliculo hepatis ſine icteро reperiri, tamen hunc morbum, praeſertim periodicum, à lapillis veſicae felleae procedere ſuſpicabatur (e). Ego autem memini, in Theatro Anatomico Valentino, cùm auditoribus hepatis fabricam demonſtrarem, in folliculo foeminae quae nuſquam icterum paſſa fuerat, inveniſſe lapidem, magnitudine ovum pullaſtrae aequantem, quem diu mecum aſſervavi. Mea ſententia eſt, hos calculos in origine ſymptomata eſſe, &, ut vocant, morbi producta, atque adeo ſine icteро, & ſine alio gravi incommodo poſſe per aliquod tempus geſtari: cùm verò magnitudine aut numero ita increſcunt, ut hepatis functionem erga bilem turbent, rationem morbi habere poſſunt (f), ut non icterum mo-

(a) *Vide Phyſiol. noſtr. tract. 6. prop. 38. num. 162. pag. 314.*

(b) Vide Hipp. *Epidem. lib. 1. ſec. 3. text. 3. & Illuſtr. noſtr. ad hunc locum, pag. 151. ſeq.*

(c) Lomius *Med. Obſerv. lib. 2. p. 195.*

(d) Morgag. *de Sedib. & cauſ. morb. epiſt. 37. num. 11. & ſeq. pag. 75. ſeq.*

(e) Vanſwiet. *Com. in Aphor. Boher. §. 950. pag. 132. ſeq.*

(f) *Vide Pathol. noſtr. tract. 1. prop. 2. num. 8. p. 397. & tract. 3. num. 50. p. 495.*

modò, ſed & alios jecinoris affectus, & hydropem accerſere valeant. Impediuntur calculorum generationes tenaci uſu graminis, taraxaci, cichorii, intibi, ut viſum ſit aliquando ex horum vegetabilium uſu, carnibus omninò ſeclusis, icterum ſanari, eoſque calculos minutim conciſos per alvum excerni (a). Sed ſilentio minimè obvolvendum quod Deſauvages proponit his verbis: „ In aurigine epide„ mica, quae Genuae vigebat in exercitu Hiſpanico, co„ mes Ponticelli Archiater abſumi juſsit totum qui fuit in „ urbe ſaponem, ipſum etiam quo facies à barbitonſoribus „ delinitur, & ſic ſanata eſt illa epidemia (b). Sed vereor, ne nimia exageratione res haec edatur. Ex magna folliculi repletione, cùm ob imbecillitatem bilis excerni non poteſt, quemadmodum in veſica urinaria multùm repleta ſed debili interdum contingit, icterum aliquando oriri, auctor eſt Galenus, atque levi cathartico ſanari (c), quod benè notent tirones, quoniam id quandoque contingere poſſe exiſtimo: cognoſcitur ex urgente in dextro hypocondrio gravitatis cujuſdam ſenſu ſine febre.

CAPUT XIII.

DE MORBIS LIENIS: SIGNANTER DE SCORBUTO.

Lien pluribus morbis affici poteſt, duritie, ſcirro, magnitudine nimia, aliiſque hujuſmodi. Sed qui ad praxeos communem uſum promptius occurrunt, ſunt inflammatio, & atrae bilis collectio, quae ſcorbutum infert. Etſi prorſus indubium ſit, ſplenem interdum inflammari, rarò tamen id fieri, communi auctorum obſervatione conſtat. Cùm autem inflammatur, quaecumque de jecoris, ventriculi, aliarumque partium inflammationibus diximus, huc transferenda ſunt, niſi quod humor lienis phlogoſi affectus atrae bilis naturam perpetuò participat. Ergo ſi hypocondrii ſiniſtri

(a) Vide Vanſwieten. *loco ſupra citato.*

(b) Deſauvag. *Noſolog. Method. claſ.* 10. §. *XXX. pag.* 490.

(c) Gal. *de Locis affect. lib.* 5. *cap.* 7. *circa finem.*

tumefactio, ac pulsans interius dolor cum assidua vehementique febre aliquem prehendat, ex inflammato liene id malum nasci censendum. Quod si ingens aestus atque sitis accedat, pulsus exigui deficientes, linguaque subnigro lentore oneratur cum respiratione difficili & imperfecta, qualis esse per iram ejulantibus pueris solet, certum indè hujus mali indicium desumitur. Inflammatio lienis, qualem hic describimus, morbus est acutus, saepèque exitialis. Philiscus apud Hippocratem ex inflammato liene sexta die obiit (a). Si tamen sub morbi statu haemorroides sanguinem fundant, itemque sudor universi corporis cum conferentia & tolerantia accedat, salus subindè expectari potest. Curatio simili modo peragenda ac in hepatis & ventriculi phlegmone, ita tamen, ut lien inflammatus, non aequè ac caeterae partes, nimium refrigerantium ac diluentium usum suscipiat, etenim splen pars est multùm ad sitim conferens, citò tamen repleta, nisi post exhibitum potum copiosae urinae fluant. Inflammatione lenta frequentiùs, quàm acuta afficitur lien, raròque fit ut inflammato ventriculo aut jecinore, non etiam lien ejusdem mali particeps fiat. Sed cùm hujus visceris phlogosis scorbuti saepissimè fomes sit, proinde de hoc affectu ex professo, ut ajunt, tractare intendimus, quae enim de eo dicenda sunt, ad quosvis lienis morbos intelligendos & sanandos conferre poterunt.

Scorbutus, novum nomen ex regionibus septentrionalibus ad oras nostras translatum, à pluribus creditur esse morbus, quem Plinius *stomacacem* & *sceletyrben* appellat, cùm enim Germanici exercitus trans Rhenum aquam ex dulci fonte bibisset, corrupta sunt militibus ora, quam affectionem illorum temporum Medici *stomacacem*, & crura resoluta, quod mali genus *sceletyrben* appellabant (b). An scorbutus sub alio saltem nomine veteribus cognitus fuerit, disputant aliqui, ut apud Sennertum longè id videri potest (c). Nos tamen, hac re maturè inspecta, minimè dubitamus,

(a) Hipp. *lib. 1. Epid. sec. 3. aegrot. 1.*
(b) Plin. *Histor. Natur. lib. 25. cap. 3.*
(c) Sennert. *Pract. lib. 3. part. 5. sec. 2. cap. 1. pag. 504.*

mus, Hippocratem variis locis hunc morbum deſcripſiſſe, ut infra videbimus, atque icterum nigrum à Paulo ÆEgineta, & Aretaeo depictum ad ſcorbutum pertinere (a). Imo, & Arabibus cognitum fuiſſe, veriſimile eſt. Fatemur tamen ingenuè, deſcriptiones hujus mali à veteribus inſtitutas non ita accuratas eſſe ac recentiorum, atque variis nominibus ab Hippocrate appellatum eſſe, fortè quia cum diverſi gradus hujus morbi ſint, & aliquas partes interdum potius quàm alias infeſtet, vel ex diverſa mali vehementia, aut ex partis magis affectae ſymptomatibus nomen deſumpſiſſe judicamus. Ergo ſcorbutus eſt: *atrae bilis, certo & ineffabili modo vitiatae, cacochimia, ex viſcerum, lienis praeſertim, laeſione orta, crurum impotentiam, atque oris ac gingivarum corruptionem inducens.* Ex ipſa diffinitionis explicatione patebit, ſcorbutum morbi & ſymptomatis eſſe complexum, atque partes affectas quaelibet eſſe poſſe viſcera, etſi affectionis origo & fomes in liene praecipuè reſideat. Igitur in ſcorbuto magnus adeſt humoris melancholici ſeu atrae bilis proventus, qui duplici modo conſiderandus. Primùm: cùm humor partium nativus per uſtionem incaleſcit, certoque ac determinato modo corrumpitur, in indolem melancholicam convertitur, ſub quo caſu morbum intemperiei, non in qualitatibus modò, ſed in vitiata ſubſtantia, conſtituit. Deinde cùm viſcerum intemperiem neceſſariò ſequatur humorum generatio ipſi congruens, facilè patet, ſub intemperie melancholica magnum atrabiliaris humoris proventum cumulari: quae omnia cùm in Inſtitutionibus longè explicata ſint, nihil eſt, quod hic diutius immoremur (b). Jàm verò atra bilis, ſicut & caeteri humores, non uno tantùm modo corrumpitur, nam multis diverſiſque vitiorum formis, pro varia partium eam generantium affectione, inficitur. Hinc in melancholia maniaca, elephantiaſi, cancro, carbunculo, exanthematibus peſtilentialibus, aliiſque id genus morbis ab atra bile naſcentibus, diverſa eſt hujus humores conditio, diver-

(a) Paul. *lib.* 3. *cap.* 49. Aret. *de Cauſ. & ſig. morb. diutur. lib.* 1. *cap.* 15.

(b) *Vide Phyſiol. noſtr. tract.* 3. *prop.* 21. *& Patholog. tract.* 2. *prop.* 11. *num.* 48.

verſa etiam phoenomena in ſingulis producens (a). In ſcorbuto cacochimia viget melancholica ſeu atrabiliaris, tùm morboſa, cùm ſymptomatica; ſed vitiatus humor ſpeciali corruptione & acrimonia inficitur, cujus vi affectionem hanc propria & peculiaria comitantur ſymptomata, in aliis morbis ab atra bile naſcentibus, ſub eodem complexu, non reperienda. Certè ſcorbutus multorum malorum ſyndromen, hoc eſt, collectionem continet, atrae bili dominanti congruentium, ſed peculiare huic morbo eſt, crurum languorem & impotentiam, atque oris, praeſertim gingivarum, corruptionem poſt ſe trahere. Etſi atra bilis ſcorbutica generari poſsit in omnibus viſceribus, ne quidem cerebro & pulmone exceptis, ut in Phyſiologia monſtravimus (b), tamen in hypocondriis, liene praeſertim, magnum ejus eſſe fomitem, practicis obſervationibus edocemur, ibi enim multus calor, humorum copia, cruditates, bilis & pituitae proventus, hujus humoris generationi plurimùm favent. Inter differentias ſcorbuto proprias ea praeſertim notanda, qua in ſalino-ſulphureum, & ſulphureo-ſalinum dividitur. Ita placuit Williſio Chimicorum partes in hac re ſequenti. Sed cùm haec nomina ad arbitrium conficta, non ſimpliciter praeternaturalium humorum vitia explicent (c), proindè commodior eſt ſcorbuti diviſio in pituitoſum, & bilioſum. Vidimus in Phyſiologia, bilem atram ex pituita uſta & certo modo infecta, atque etiam ex bile generari poſſe (d). Ergo pituitoſus ſcorbutus ille eſt, in quo pituita: bilioſus, in quo bilis dominatur. Videre enim eſt ſcorbuticos aridos, ſquallentes, ichoribus ſeu ſeroſis, tenuibus, acribus, humiditatibus afflictos (e), dum alii pituita, humore aqueo crudo, ſero viſcido repleti ſunt, quod maximè ad curationem notare expedit: etſi enim in quovis ſcorbuto calor cum acrimo-

(a) *Vide Phyſiolog. noſtr. loco proximè citat. & Pathol. tract. 2. prop. 8. num. 36.*

(b) *Vide Phyſiolog. noſtr. tract. 3. prop. 20. & 21.*

(c) *Vide Phyſiolog. noſtr. tract. 3. pag. 123.*

(d) *Vide Phyſiolog. noſtr. tract. 3. prop. 21.*

(e) Vide Sauvag. *claſ.* 10. §. *XXV. num.* 8. *pag.* 448.

monia praevaleat, multò magis in bilioſo, quam in pituitoſo excedit. Eſt etiam notatu digna ſcorbuti diviſio in epidemicum, endemicum, & ſporadicum. Sunt certae annorum conſtitutiones, in quibus hic morbus facillimè genitus in populum graſſatur, quod ſpeciatim anno 1562. adnotavit Foreſtus, qui de hoc malo multas neque ſpernendas congeſsit obſervationes (a). Endemicum eſſe ſcorbutum & quaſi vernaculum ſeptentrionalibus populis, omnium fermè ſcriptorum conſenſu comprobatur. Sed plures alias regiones hoc malo endemicè infeſtari, fusè probat Sennertus (b). Sporadicum ipſum eſſe, ex his, quos ſparſim in noſtris regionibus ſcorbuto affectos vidimus, ſatis innoteſcit.

Cauſae occaſionales plethora & obſtructio, quemadmodum aliorum morborum, ita maximè ſcorbuti fomes eſſe conſueverunt, praeſertim ſi ſanguis & crudi humores circa hypocondria, inteſtina, meſenterium colligantur, ibi enim aeſtu & ſcandeſcentia in atram bilem commutari facilè poſſunt. Sed niſi his accedat diatheſis, ſcorbutum integrè inducere nequeunt, neceſſe enim eſt atram bilem certa atque ineffabili corruptionis forma vitiari ad hunc morbum producendum. Si ergo plethorae & obſtructioni haec accedat determinata diatheſis, ſeu à principiis generationis, ſeu contagio, vel aëris vitio, aut alio quovis modo acquiſita, ſcorbutum inde naſci pronum eſt. Diatheſim iſtam praeter dicta provocare ſolet certum genus febrium, ſeu tertianae ſint, ſeu erraticae, cùm diutiùs moleſtant, aut temporum conſtitutio humida & uliginoſa multùm regnat, vel improvida medicamentorum farrago aegrum alterat. Nec parùm facit hypocondriorum phlogoſis cum lienis debilitate, ſeu nativa & primigenea, ſeu ex colluvie & infarctu vitioſorum humorum contracta, ita enim fit, ut humorum vitioſorum crudorumque colluvies in viſceribus cumuletur, qui partium calore uſti, & lienis damno infecti, in atram bilem determinata diatheſi corruptam degenerent.

Ad-

(a) Foreſt. *lib.* 20. *obſerv.* 12. *tom.* 1. *pag.* 304.

(b) Sennert. *Pract. lib.* 3. *part.* 5. *ſec.* 2. *cap.* 1. *pag.* 506.

Adde, lienem ad ſe trahere humiditatem cibi & potus, ut optimè notavit Hippocrates, quae ſi vomitu aut urinarum copia non expurgetur, ipſum implet, & tum demùm atra bile replet (a), atque morbis plurimis, ſcorbuto praeſertim, anſam praebet. Jàm verò aërem potiſsimam eſſe efficientem ſcorbuti cauſam, praeter ea quae in differentiis hujus morbi dicta ſunt, exinde patet, quod morbus hic ſub aëre auſtrino, & pluvioſo coelo augetur, vireſque novas ſuſcipit, quod etiam accidit certis anni temporibus, ac determinatis lunae periodis. Experientia item teſtatur, locis paludoſis, uliginoſis, lacuſtribus, maritimis, ſcorbutum maximè familiarem eſſe, atque, à domiciliis humectis, ſubterraneis, frigida & humida murorum, & parietum exhalatione, foveri. Diaeta huic morbo producendo ſingularem vim habet. Severinus Eugalenus, Medicus Doccumanus, qui librum integrum neque ſpernendum de ſcorbuto ſcripſit, rectè monet, victum craſſum diu uſitatum huic malo inducendo maximè conferre (b). Omne carnium genus, omniaque edulia ex animalibus deſumpta, continuò in communem uſum adducta, mirum, quantum ad ſcorbutum generandum faciant. Facit etiam frumentum corruptum tempore pluviae collectum, neque probè aſſervatum, panis etiam bis coctus, ſubmucidus, infumatus, nauticus, ſicut legumina cùm negligentius recondita, atque jam corrupta, multùm eduntur. Aquae corruptae & verminoſae, itemque cereviſia foeculenta, ipſumque vinum ſi non probè in ventriculo coquatur, ſed aceſcat, in primis ubi corrumpi incipit, ſcorbutum accerſunt. Quod ſi his omnibus accedat incandeſcentia ex immodicis exercitationibus, aut potibus ſpirituoſis, nullo negotio hoc malum emergit. Animi pathemata plura, praeſertim diuturnus moeror, ad hunc morbum producendum ita conducunt, ut Eugalenus ex vero affirmet, conſtanter ſe praedicere auſum fuiſſe, eos à ſcorbuto prehendendos, quos cum craſsiore victu diuturnior

(a) Hipp. *de Morb. lib.* 4. *verſ.* 221. *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Prog. ſec.* 2. *text.* 24. *pag.* 127.

(b) Eugal. *de Scorb. pag.* 6. *edition. Amſtelodam. ann.* 1720.

nior moeſtitia exercuit (a).

Scorbutus pueris & adoleſcentibus magis quam ſenibus, viris magis quam foeminis, vere & autumno potius quam aliis anni temporibus familiaris eſſe ſolet. Interdum latet in viſceribus, neque ejus effectus exterius apparent, donec, majores vires in dies accipiens, per propria phoenomena ſeſe prodat. Ergo ſi quis, integra valetudine, ſubitò & abſque manifeſtis cauſis laſsitudinem inſolitam, praeſertim poſt ſomnum, cum crurum debilitate & impotentia ſentire incipiat, atque in ore & gingivis dolorem, ardorem, ulcerationis ſenſum, aut levem quamcumque inflammationem percipiat, de latente ſcorbuto ſuſpicandum eſt, quin obſtet mutatio, quae in his malis contingere ſolet, proprium enim eſt affectionis ſcorbuticae, variis periodis ſubjici, & levi quacumque occaſione ſubinde recurrere. Creſcente malo, iis omnibus accedunt vertigines cum metu cadendi, & timore mortis: ſitis: ſalivae proventus, indeque natae craſſae, moleſtae, & fermè continuae ſputationes. Interea nec ſomnus nec appetitus prorſus deficiunt, ſed aeger, etſi ad cibos accipiendos benè paratus ſit, parùm nutritur, atque à ſumptis alimentis anxietas, rugitus, arteriarum pulſatus in hypocondrio ſiniſtro ſuperveniunt. Adſunt praeterea calores ſubitò caput invadentes, languor, triſtitia, exercitationis averſatio cum ſenſu gravitatis in toto corpore, & pectoris anguſtia. Gingivae in morbi augmento pruriunt, rubent, ſanguinem ichoroſum nullo negotio fundunt. Urina varia eſt, modò cum virore palleſcens, modò rubra cum craſſo ſedimento matulae parietibus adhaerente. Alvi excrementa, ut plurimum, dura, craſſa, nigricantia, interdum fluida inſtar teneſmi cum labore ejecta: atque notare expedit, in hoc malo plus excrementi ex ventre evacuari quam pro ratione alimenti aſſumpti, fortè quia partes parùm trahunt ad nutritionem, undè facillimè contabeſcunt. Facies ex pallido vireſcens: nonnumquam tamen & per intervalla rubore & calore facilè evaneſcentibus perfunditur. Scorbuto ad ſummum ſtatum

(a) Eugal. *loco citato.*

jam evecto, non Medicis modò, ſed & lippis & tonſoribus innoteſcit, gingivae enim inflammantur, mirè increſcunt, foetent, livent, foediſsimumque aſpectum repraeſentant. Dolent interea caeterae oris partes, quae craſſa ſaliva & tenaci muco conſpurcantur. Crura omninò impotentia ad motum, ut aeger, ſi leviter moveri aggrediatur, in ſyncopem fermè incidat. Interea maculae ea obſident nigrae, lividae, aut rubentes, quae interdum etiam circa pectus in collo, & facie effloreſcunt, modò evaneſcentes, modò iterum erumpentes. Hunc morbi ſtatum plerumque febres comitantur, quandoque tamen nulla febris eſſe videtur. Cum verò adſunt, non unius ſunt generis, ſed variae, intermittentes, inordinatae, tertianae, quartanae, & non rarò erraticae. Pulſus parvi ſunt, languidi, ſubobſcuri. Corporis contabeſcentia multa & tenax. In ſumma, nihil eſt in aegrotante, quod non atrae bilis praeſentiam ubique demonſtret. Generalia haec ſcorbuti phoenomena alia ſubindè ſequuntur pro aegrorum, temperamentorum, partiumque affectarum varietate diverſa. Quibuſdam dolores vagi, arthriticorum inſtar, hinc inde accedunt. Alios totius ventris dolores, colico-iliacis ſimiles, moleſtant, lumborum item, renum, veſicae dolorificae affectiones plerumque ſuperveniunt. Nervorum mala, convulſiones, tremores, paralyſes, affectiones ſoporoſas ex ſcorbuto naſci, notum eſt, cum morbi vis cerebrum & nervos praecipuè occupaverit. Sed, cordis palpitationem, lypothimiam, difficilem anhelitum, cùm vitalem cavitatem ingruit: ſicut cardialgiam, eructationes moleſtiſsimas, vomitus, dyſenterias, cùm alvum infernam occupat, inducere, in comperto eſt. Uno verbo, nullum fermè eſt mali genus, quod in ſcorbuticis non reperiatur, cùm affectio haec altas egerit radices, totumque corpus ferè infecerit, ut non omninò ſine ratione quibuſdam viſum ſit, ſcorbutum non unum eſſe morbum, ſed plurium morborum complexum. Scorbutus aegritudo longa eſt, ſaepeque commoritur, per plures enim annos eo laborantes trahunt, vitamque ducunt aerumnis & laboribus plenam. Nec deſunt, qui ad longam ſenectam pervenerunt. Malum hoc non eſt prorſus inſanabile, atque

ſub

sub initiis, si benè tractetur, curationem admittit: facilè tamen, nisi summa cura in eo avertendo sit, reverti solet. Scorbutum confirmatum, etsi integram curationem rarò admittat, non esse perpetuo lethalem, observatione didicimus, inducias enim dare solet, si artis operibus ritè institutis natura juvetur. Sin minus, hydrops, tabes, syncops communes sunt hujus mali prodromi, miseram aegrorum vitam finientes.

In scorbuto curando cautè procedendum circa venae sectionem, morbi enim omnes, in quibus atra bilis redundat, sanguinis extractione adeo non juvantur, ut ingravescant. Celebrari tamen aliquando potest, dum magna anhelitus difficultas, convulsio, aut quodvis aliud grave malum aegrum ita opprimit, ut suffocari, aut strangulatione extingui videatur (a). Purgationes vehementes noxiae sunt, malumque insigniter augent: quinimo cathartica leviora turbas in scorbuticis excitare solent molestissimas, rarò enim hujusmodi aegrotantes ataxia spirituum non laborant, atque producta, ut vocant, morbosa educunt, relicta morbi causa, & partibus affectis irritatione commotis. Cum igitur corpus lubricum reddere expediat, vegetabilibus alimentis blanda humiditate laxantibus, longo tamen usu, res peragenda. Cichoreum, intibus, lactuca: brasica item, beta, asparragi, aliaque id genus: sicut hepatica, splenica, & emollientia medicamenta, seu cocta, seu cruda, scorbuticis pro hac intentione mirè prosunt. Ergò, evacuantibus medicamentis parùm proficientibus, aggredienda hujus morbi curatio per alterantia, & diaetam. Alterantia duplici vi pollere debent, generali adversus atram bilem, & speciali ac propria, vitium hujus humoris determinatum corrigente. Medicamina omnia diluentia, temperantia, absorbentia atrae bili alterandae opportuna sunt. Serum lactis: decocta ex herbis hepaticis, splenicis, emollientibus: infusa ex vegetabilibus obstructiones tollentibus: juscula ex eisdem medica-

(a) Vide Vansw. *com. in Aphor.* | *Vratislav. histor. morb. anno* 1702. *Buher.* §. 1161. *pag.* 627. & *Medic.* | *pag.* 332.

mentis, adjectis reficientibus, parata, ſcorbuticis utilia ſunt. Uno verbo, quaecumque adverſus melancholiam maniacam adduximus, huc commodè transferri poſſunt, ſunt enim melancholia & ſcorbutus congeneres morbi, atque ex uno in alium tranſitus facillimè fit. Speciali vi adverſus ſcorbutum valent naſturtium aquaticum, becabunga, cochlearia, raphanus, fumaria, portulaca, aliaque id genus apud omnes auctores paſsim obvia, ex quibus infuſa, ſyrupi, juſcula, pro re nata, formari poſſunt. Naſturtium aquaticum & becabunga ſimplici infuſione cum ſero lactis, per plures dies matutinis horis aſſumpta, ſcorbuticos plurimùm juvaſſe vidimus. Aquam lactis ſcorbuticam ex Pharmacopoea Batei, itemque ſyrupum ſcelotyrbicum Foreſti bonos quandoque effectus produxiſſe, obſervavimus, cochlearia enim tamquam baſi medicamina haec componuntur, quae adverſus ſcorbutum mirificè pugnat. Sed advertere expedit, calida antiſcorbutica, ut raphanum, cochleariam, eryſimum, chaerefolium, erucam, cautè admodum exhibenda eſſe quibus ſcorbutus ſiccus eſt & urens: imò & quibus humiditates exuperant ita praeſcribi oportet, ut eorum vis cicuretur ſero lactis, aqua pimpinelae, aut portulacae, ſecùs enim nocere ſolent, cùm ita comparati ſint ſcorbutici omnes, ut, levi quavis data occaſione, nimiùm incaleſcant. Experientia compertum eſt, in noſtris regionibus ſuccum expreſſum naſturtii aquatici, aut becabungae ad unciam unam, plus minuſve, cum lacte aſinino exhibitum per multum tempus, hunc morbum maximè domuiſſe. Itaque conſulendum ſcorbuto affectis, ut vere & autumno hoc medicamentum per menſem aſſumant, & poſtmodum, quod reliquum eſt anni à pharmacia prorſus abſtineant, multis enim medicamentis rem aggredi, pernicioſum eſt. Lac ſeu ſolum, ſeu antiſcorbuticis mixtum ſaepe profuiſſe, novimus, dummodo aeger diſpoſitus ſit ad ipſum rectè ſuſcipiendum, careatque incommodis ab Hippocrate erga lactis uſum adnotatis (a). Alterum ſcorbuticorum remedium, & quidem maximum, eſt

(a) Hipp. *lib.* 5. *Aphor. ſent.* 64.

eſt diaeta. Oportet ergo, ut hoc morbo affecti ab eſu carnium, quantum fieri poſsit, abſtineant, & legumina, olera, uno verbo, vegetabilia pro communi cibo ſuſcipiant, falſum enim eſt, olera & legumina pravos generare ſuccos, ſi benè ad menſae uſum condiantur, atque communi certaque obſervatione innotuit, carnium uſum diu continuatum cum abſtinentia vegetabilium hunc morbum generare & fovere: contra, vegetabilia longo temporis tractu uſitata, hujus mali vim multùm infringere.

APHORISMI.

I.

Quamquam non ſemper à cibis craſsis & melancholicis generetur ſcorbutus, tamen ſi talis victus ratio continuetur diu, taleſque humores diu in corpore haereant: & aër ac aliae cauſae accedant, tandem corruptionem ſcorbuto propriam ſpecificam induunt (a).

Haec obſervatio certa eſt, includit enim omnia, quae ad ſcorbuti generationem requiruntur, victum ſcilicèt craſſum & melancholicum diu continuatum, atram bilem diu in corpore haerentem ſpeciali diatheſi infectam, & aërem, praecipuam hujus mali efficientem cauſam. Novi hominem per aliquot annos carnibus & pane veſcentem, omni olerum, fructuum, & leguminum uſu privatum, qui tum demum in verum incidit ſcorbutum. Sanatus tamen eſt abſtinentia carnium, antiſcorbuticorum per intervalla uſu, & diaeta vegetabili.

II.

Multis locis ſcorbutus ſatis familiaris eſt, qui à mari ſalſo ſatis diſtant: & contra, multis in locis maritimis ſcorbutus planè incognitus eſt (b).

Bo-

(a) Sennert. *Pract. lib. 3. part. 5. ſec. 2. cap. 3. pag. 513.*

(b) Sennert. *loco citato.*

Boheravius, communi auctorum ſenſui adhaerens, ſtatuit, ſcorbutum attingere boreales populos, & frigidiori ſub clymate viventes, atque inter eos maximè infeſtare vicinos mari & locis marina aqua ſubmerſis (a). Quoad primum: „ Videtur certum eſſe (inquit Vanſwietenius) quod hoc „ non adeo fiat ob acre frigus, ſed potius ob alias ratio„ nes.... etenim ſub zona torrida ſcorbutus ſaepe peſsimo „ modo infeſtat (b). Haec vera ſunt, ſed non aequè verum eſt, ſcorbutum maximè infeſtare vicinos mari; quod nobis experientia notum eſt, neque rationes à Vanſwietenio hic adductae quidquam probant, cùm non argumentis ſyſtematicis, ſed ſolidis & accuratis obſervationibus res practicae ſtabiliendae ſint.

III.

Homo malum hoc diu circumferre poteſt, etſi nihil tale appareat. Et non rarò accidit, ut homo prius hoc morbo è medio tollatur quàm ipſi gingivae exulcerentur, aut maculae in cruribus emergant (c).

Etſi ſcorbutus diu lateat in viſceribus, numquam tamen ſine aliquo damno gingivarum & crurum verus exiſtit. Ergo dum Medicus gingivas parùm vitiatas, & crura non multùm impotentia obſervat, dum interim atrae bilis corruptae collectionem in viſceribus per alia phoenomena agnoſcit, de curando ſcorbuto cogitare debet, nam niſi id fiat, recens malum in inveteratum confirmatur. Poſtquam Vanſwietenius ex vero deſcripſit dentium & gingivarum incommoda in hoc morbo, ita concludit: „ Omnia haec „ ſymptomata ſenſim ſuccedunt in leniori ſcorbuto, rapi„ dè autem ſi in magnam jam malignitatem degenerave„ rit morbus (d).

(a) Boher. *Aphor. de Cognoſc. & cur. morb.* §. 1150.

(b) Vanſwiet. *Com. in Aphor. citat. pag.* 594.

(c) Sennert. *Pract. lib.* 3. *part.* 5 *ſec.* 2. *cap.* 4. *pag.* 514.

(d) Vanſw. *Com. in Aphor. Boher.* §. 1151. *pag.* 605.

IV.

IV.

Qui in parvo, quantum ad ſenſus, morbo ac febre, à qua decumbentes parùm aut nihil pati videntur, ſubitò ac praeter rationem linquunt, aut ad linquendum proni ſunt & proclives, hos ſceletyrbe laborare, certo tibi perſuadere debes (a).

Eugalenus maxime laudandus, qui plurimas neque ſpernendas de ſcorbuto, parùm adhuc cognito, fecit obſervationes: „Et ſi curationem ſcorbuti eadem ratione adjeciſſet, „omnibus, qui de ſcorbuto ſcripſerunt, palmam praeri„puiſſet, & de arte medica optimè mereri potuiſſet (b). Generale non eſt, propenſionem aegrorum in lypothimiam in morbis ad ſenſum levibus ſcorbuti eſſe ſignum, cùm in affectionibus aliàs malignis, & tertianis autumnalibus id contingere poſsit. Ergo tunc tantùm ſcorbutica eſt lypothimia, cùm caetera hujus morbi phoenomena aut praeceſſerunt, aut comitantur. Interim negandum non eſt, ſcorbuticos, ob inſeparabilem ataxiam, animi deliquiis facilè moleſtari.

V.

Scorbutum per contagium propagari: imò & hoc modo contractum majorem ſaevitiam exercere, docet experientia, aſſeruntque auctores exercitatiſsimi, quod tamen nonnulli haud inferioris notae planè negant: tantum difficile eſt verum à falſo extricare (c).

„Nondum certò conſtat (inquit Vanſwietenius) quod „per contagium ex uno homine in alium hic morbus „tranſeat... Fateor, quod nemini ſuadere vellem, ut eo„dem uteretur poculo (*adde & lecto & habitaculo*) cum „illis quibus putrido tabo gingivae diffluunt... Tamen non „videtur certò conſtare, quod per contagium propagetur „ſcorbutus, uti de variolis, lue venerea, ſcabie, & ſimili„bus morbis fieri novimus... Interim tamen prudentia ju-

„bet,

(a) Eugal. *de Scorbuto*, *pag.* 48.
(b) Sennert. *Pract. lib.* 3. *part.* 5. *ſec.* 2. *cap.* 4. *pag.* 524.
(c) Lieuth. *Synop. univer. prax. lib.* 1. *Scorb. pag.* 66.

„ bet, ut in ultimo ſtadio ſcorbuti verſantes aegri cautè trac-
„ tentur: licet enim contagium non metuendum adeo fo-
„ ret, tamen putridiſsimis exhalationibus nocere poſſent (a). Sed minimè incongruum erit in memoriam revocare, quae, de corporum ſimul concurrentium atractione mutua, in Phyſiologia tradidimus (b).

VI.

Victus ſit ex vegetabilibus recentibus quibuſcumque: at, ſi poſsibile eſt, ex acetariis refrigerantibus & acidis, ſed copioſè aſsiduò ſumptis (c).

Quaecumque lieni inflammato congruunt, eadem ſcorbuto tollendo proſunt. Etſi lien non unica, praecipua tamen ſedes eſt ſcorbuticae affectionis, quidquid contra clament recentiores, qui ex hypotheſi id negant, quamquam non omninò ſibi conſtant. Lieuthaudus, lienem in hoc morbo ſaepiſsimè offendi, ait, idque ex phoenomenis deducere videtur. At non multo poſt, cùm ex cadaverum inſpectione loquitur, lienem ſaepius nihil vitii prae ſe ferre, & omninò inculpatum occurrere, affirmat (d). Conſultius id eſt quod auctor hic in prooemio operis verè laudandi ſic ſcribit: „ Silentio tamen minimè praetermittendum, ſingulos „ morbos vel graviores haud ſemper conſpicuam labem viſ-„ ceribus inferre: cùm ſaepe ſaepius luſtrata poſt obitum „ interanea planè inculpata deprehendantur (e). Igitur non acetaria modò, refrigerantia ex lactuca, intybo, cucurbita, portulaca, quibus cum fructu addi poſſunt naſturtium aquaticum, becabunga, acetoſa, diu uſitata, utilia ſunt, ſed & muria, hoc eſt, aqua, ſale & aceto pro his acetariis praeparandis imbuta, mirè prodeſt. „ Multis modis (inquit Celſus) huic rei cappar aptum eſt. Nam & ipſum cum ci-
„ bo

(a) Vanſw. *Com. in Aphor. Boher.* §. 1151. *pag.* 618.

(b) *Vide Phyſiol. noſtr. tract.* 6. *prop.* 34. *num* 145. *pag.* 274.

(c) Sauvag. *Gener. & ſpecies morb. claſ.* 10. §. *XXV. pag.* 444.

(d) Lieuth. *Synop. univer. prax. lib.* 1. *pag.* 65. & 67.

(e) Lieuth. *Prooem. pag. VIII.*

„ bo assumere, & muriam ejus cum aceto sorbere, com-
„ modum est (a).

VII.

Curatio versatur circa diluentia & temperantia, ac praesertim meram aquam affatim haustam (b).

Aquam fontanam purissimam interdum nive refrigeratam maximum esse in hoc morbo praesidium, expertus novi. De caetero mireris, diluentia & temperantia, acida, refrigerantia: itemque aliquantum acria calefacientia hic juvare. Fortè id contingit, quia non modò bilem atram, sed specialiter corruptam emmendare opus est, atque adeo miscere oportet medicamenta, quae generalibus atrae bilis vitiis, & particulari corruptioni opponantur. Primum faciunt diluentia, acida, temperantia: secundum, modicè acria, putredini resistentia. Id non omittendum, fructum solani pomiferi, quod aliqui pomum amoris vocant, vulgò *tomáte*, mirificam adversus scorbutum vim habere, non solùm enim refrigerat, sed & nimium atrae bilis impetum sedare, observatione compertum.

VIII.

Metallica omnia vitanda, in primis hydrargirum, ferrum, antimonium (c).

„ Summam (inquit Lieuthaudus) infert perniciem hy-
„ drargirus, praesertim si ptyalismum moveat: hinc à sa-
„ nioribus Medicis abdicatur (d). Metalla omnia inimica naturae sunt, quia nec superari, nec ei umquam adaptari possunt. Sed inter omnia pessimum esse mercurium, ex ejus divisibilitate, & mobilitate summa deducitur, his enim dotibus perpetuò naturam exagitat, quae ipsum tamquam corpus molestum expellere nititur, neque id umquam sine magnis turbis efficere potest. Dolendum itaque est, adeo

(a) Cels. *de Medic. lib. 4. cap. 9. pag. 216.*

(b) Lieuth. *Synop. univers. prax. lib. 1. pag. 68.*

(c) Sauvag. *Gener. & spec. morb. clas. 10. §. XXV. pag. 446.*

(d) Lieuth. *Synop. univers. prax. lib. 1. pag. 68.*

frequentem noſtris temporibus fieri mercurialium medicaminum uſum, ex hypotheſi, non vera obſervatione, gubernatum.

IX.

Hos (ſcorbutus infeſtat) *qui melancholiae, maniae labi hypocondriacae, hyſtericae, morbis lentis obnoxii vivunt, maximèque qui nimio cortice peruviano fuerunt uſi* (a).

Vanſwietenius febres intermittentes autumnales difficiles poſt fervidiſsimas aeſtates ſequutas, cortice peruviano, liberatis à ſaburra viſceribus, optimè curari ait, ſed melancholiam, morbum hypocondriacum, & ſcorbutum naſci poſſe aſſerit, ſi repetatur corticis uſus, dum prima recidivae ſigna apparent. Ego ſanè cùm plurimos viderim, qui improvidè nimio corticis uſu febres fugare intenderint, multa mala, fateor, inde ſequuta, ſcorbutum rarò ex eo natum agnovi. Undè ambabus ulnis accipio, quod Vanſwietenius ſic ſtatuit: „ Ubi autem pertinacibus talibus febribus „ curandis adhibetur cortex peruvianus, tunc mutationes „ humorum & ſolidarum partium coporis per ipſam febrim „ pregreſſam factae, malè adſcribuntur uſui corticis peruviani (b).

X.

Hoc vitium quies auget: itaque exercitatione & labore opus eſt, habita tamen ratione, ne febrem iſta, ſi nimium proceſſerint, excitent. Unctiones frictioneſque & ſudores neceſſarii ſunt. Dulcia omnia inimica ſunt... acida autem maximè conveniunt (c).

Loquitur Celſus de liene magno, quem ſcorbuti eſſe fomitem, jàm vidimus, idque ulterius comprobant haec Hippocratis verba: „ Quibus lienes magni, iis gingivae vi- „ tiantur & os graveolet: quibus autem lienes magni ſunt „ neque ſanguinis eruptiones contingunt neque os graveo- „ let,

(a) Boher. *Aphor. de Cognoſc. & cur. morb.* §. 1150.

(b) Vanſwiet. *Com. in Aphor. citat. Boher.* pag. 599. Vide Lieuth. *Synop. univer. prax. lib.* 1. *pag.* 68.

(c) Celſ. *de Medic. lib.* 4. *cap.* 9. *p.* 215.

„ let, in tibiis ii mala ulcera habent & nigras cicatrices... „ At, qui partes eas, quae ſubſunt oculis, vehementer ſub- „ latas habent, magnos habere lienes, comperies (a)... „ Quibus ſplen deorſum vergit, pedes & manus & genua ca- „ lida ſunt: naſus & aures ſemper frigida (b)... Quibus lien „ intumeſcit, iiſdem & corpus contabeſcit (c). Qui attentè ea, quae ſcorbuticis accedunt, mala inſpiciat, omnia quae hic ab Hippocrate adducuntur, pro aegrorum partium- que affectarum varietate, vera eſſe comperiet. Iis tamen om- nibus exercitationes tum corporis, tum mentis, moderatas tamen (d), conferre, itemque frictiones, omninò certum eſt, ſolet enim lien facilè intumeſcere, neque adeò difficilè, ut caeterae partes, labore & exercitatione detumeſcit. „ Mul- „ tos vidi (inquit Vanſwietenius) qui laborioſa vita & fru- „ gali tantùm adquiſiverant pecuniae, ut, ingraveſcente aeta- „ te, paucis contenti leni in otio vivere poſſent: his ſemper „ ſuaſi, ut quotidianis deambulationibus, agricultura, vel „ alio quovis modo corpus exercerent, quod ſi negligerent, „ brevi in hunc morbum (*ſcorbutum*) incidebant (e). Viden- da circa lienis intumeſcentiam, & modum, quo per vo- mitus & urinas detumeſcit, quae adduximus in Illuſtra- tionibus ad Hippocratis Prognoſtica (f).

XI.

Notandum, cautione quadam in exhibendis illis ſcorbuticis me- dicamentis, quae omnia ferè ſunt calida & acria, opus eſſe (g).

Nihil fermè ſcorbuticos magis vexat quàm importuna medicamentorum farrago. „ In pharmacopoliis (inquit „ Vanſwietenius) ſic proſtant ſpiritus, eſſentiae, elixiria, „ &c. antapoplectica, antepileptica, antifebrilia, antipleuri-

(a) Hipp. *lib.* 2. *Praedic. text.* 163. 64. & 166.
(b) Hipp. *lib.* 6. *Epid. ſec.* 2. *text.* 71.
(c) Hipp. *de Locis in homin. text.* 36.
(d) Vide Hoffm. *Special. morb. Pathol. part.* 5. *cap.* 1. §. *XXIV. pag.* 373.
(e) Vanſwiet. *Com. in Aphor. Boh er.* §. 1150. *pag.* 596.
(f) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Progn. ſec.* 2. *tex.* 24. *pag.* 127.
(g) Sennert. *Pract. lib.* 3. *part.* 5. *ſec.* 2. *cap.* 6. *pag.* 527.

„ tica, antiſcorbutica, &c. quae omnia licèt in quibuſdam „ caſibus uſum habere poſsint, tamen etiam ſaepe inutilia, „ imò & damnoſa ſunt (a). Aquas minerales pro hoc morbo tollendo nimiùm commendat Hoffmanus (b); ſed auctor hic, aquarum virtutibus extollendis intentus, fortè rei, de qua agebat, ſpecie praeoccupatus id effecit, quod commune eſſe ſolet iis omnibus, qui penſum ſuum prae caeteris extollunt. Idem judicium eſto de Eugaleno, qui omnes ferè morbos ad ſcorbutum reduxit: quod ideo notatum volumus, ut horum aliorumque ſimilium ſcriptorum celebrium doctrina his cautionibus pervolvatur.

CAPUT XIV.

DE LUMBRICIS.

OMne animal quantumvis minimum & imperfectum ex ſemine ſibi proprio generari, neque putredinem, aut quidvis aliud poſſe inſecta ex quavis materia producere, niſi ſemen intercedat cuique viventi peculiare, in Illuſtrationibus ad Hippocratis Prognoſtica primùm, deinde in Phyſiologia monſtravimus (c), ubi vidimus, etiam innumeras propè fabellas, atque non modò vulgi ſed & Philoſophorum errores maximos, & interdum figmenta, erga hanc rem nimium vigere (d). Circa modum, quo animalia imperfecta, quae *inſecta* vocant, ortum ſuum accipiunt & vitam, magna eſt Auctorum diſſenſio. Sed cùm diſquiſitio haec ad Phyſicam & hiſtoriam naturalem potius, quam medicam artem pertineat, eam conſultò omittimus. Quibus tamen haec placent oblectamenta, obvium eſt, ex veteribus Sen-ner-

---

(a) Vanſwiet. *Com. in Aphor. Boher.* §. 1165. *pag.* 635.

(b) Hoffm. *Spec. morb. Patholog. part.* 5. *cap.* 1. §. *VII. pag.* 377. Vide Vanſwiet. *Com. in Aphor. Boher.* §. 1164. *pag.* 631.

(c) *Vide Illuſtr. ad Hipp. Progn. ſec.* 2. *text.* 18. *pag.* 101. *& Phyſiol. tract.* 6. *prop.* 36.

(d) Vide Lieuth. *Synop. univerſ. prax. inſecta, lib.* 1. *ſec.* 1. *pag.* 118.

nertum, qui ampliſsimè hanc rem diſcuſit (a), inter recentiores Valliſnerium & Reaumurium conſulere, omnes enim iſti animalium quorumvis generationem non aliter quam ex proprio ſemine fieri poſſe, probant & confirmant. Interea certum eſt, vermiculos procreari in aquis, fructibus, lacte, aliiſque omnibus fermè alimentis, ut difficile ſit aliquod invenire corpus, quod interdum ſuos non alat vermes. Id etiam certum eſt, alios ab aliis differre, atque determinatis tantum locis eorum ſemina foecundari (b). Inter haec homo ipſe vermium patria eſſe ſolet, reperti enim ſunt in variis ejus partibus, atque ita proprios alit, ut non alibi uſpiam niſi in corpore humano ſubſiſtere poſsint. Unde unum animal fomes eſt & fundamentum alterius (c). Sed inter hominis vermes ii praeſertim infenſi ſunt, & Medicorum attentionem perpetuò meruerunt, qui in alvo & inteſtinis generantur, quos Graeci *elminthas*, Latini *vermes*, *lumbricos* appellarunt. Igitur lumbrici ſunt: *Animalcula in alvo & inteſtinis hominum genita, ibique commorantia, multorum malorum ſegetem ſecum deferentia.* Pertinent ad ſymptomata in retentis toto genere praeter naturam. Hoc ſymptoma ſupponit morbum intemperiei, non in qualitatibus tantum, ſed in vitiata inteſtinorum ſubſtantia, ut haec in putredinem determinatae indolis vergat. Vidimus alibi, non omnem putredinem in humano corpore eſſe noxiam, ſed adeſſe interdum aliquam ipſi infenſiſsimam, diverſam tamen pro varia corruptionis & putreſcendi forma. Neque ſub quavis putredine (haec enim omnium vermium nidus & fomes, non cauſa eſt) naſcuntur lumbrici, ſed cùm ejus generationi ſpeciali modo, lege naturae, corruptio congruit. Sic fit, ut horum animalculorum ſemina ſeu à principiis generationis cum ſemine communicata, ſeu aliundè ſuſcepta, cùm fomitem in inteſtinis ex propria putredine inveniant, facilè naſcantur, & germinando, plurimùm aliquan-

(a) Sennert. *de conſenſ. & Diſ. Chymic. cum Galenicis, cap. 12. pag. 229. & hypomnema phyſicum V. cap. 8. per tot. ſed praecipuè, pag. 172.*

(b) Vide Sennert. *loco citato.*

(c) Vide Redi *Obſervat. in torno à gli animali viventi, que ſi trovan, negli animali viventi, tom. 1.*

quando multiplicentur. Conſtat inde, partem affectam eſſe inteſtina; etſi enim ventriculum nonnumquam parteſque vicinas occupaſſe, viſum ſit, id per conſenſum ſeu communicationem factum eſſe, cenſemus. Ex differentiis duae ſunt notabiles, etenim lumbrici ſunt critici, aut ſymptomatici: „ Lumbricos rotundos cum alvi excretione prodire, „ morbo in judicationem tendente, expedit (a), criſis namque bonae indicium ſub morbi finem eſſe conſueverunt (b). Cùm verò ſub initiis morborum ejiciuntur lumbrici, ſymptomatici ſunt, multorumque malorum ſegetem ſecum deferunt. Altera differentia, eaque praecipua, ex ipſa lumbricorum forma deſumitur: alii enim ſunt teretes, longi, qui per excellentiam lumbrici appellantur: alii lati, & ob ſimilitudinem cum ſemine cucurbitae à quibuſdam cucurbitini dicuntur: alii denique ſunt parviſsimi, eorum inſtar, qui in caſeo generantur, & aſcarides vocari ſolent. Hi inteſtinum rectum juxta podicem: caeteri alia inteſtina habitare conſueverunt. Lumbricus latus, qui etiam tenia ob amplitudinem & cum faſcia analogiam à quibuſdam indigitatur, ita longus interdum viſus eſt, ut ex quorumdam auctorum praeſcripto ulnas plurimas ſuperaverit. Quidquid tamen ſit, id in canibus aliquando contingere, certi ſtatuimus (c). Nec deſunt qui affirment, ex pluribus vermibus cucurbitinis inter ſe cohaerentibus latum lumbricum reſultare. Id certum eſt, ubi hic vermis alvum occupat, hoſtem eſſe moleſtiſſimum.

Inter occaſionales cauſas vermium plethoram parum aut nihil conferre, fatemur, nam etſi ſanguinis copia inflammando & calefaciendo inteſtina ad putredinem diſponat, tamen ea eſt hujus ſalutiferi humoris conditio, ut non niſi rariſsimè vermium progeniem in ſinu ſuo contineat. Quod ſi in aliis partibus, praeter inteſtina, vermes interdum reperti ſint, non ex ſanguine, ſed ex ipſo partium humore corrupto proceſsiſſe cenſendum. Obſtructio ad lumbricorum generationem plu-

(a) Hipp. *in Prog. ſec. 2. text. 18.*
(b) *Vide Illuſtr. noſtr. ad citat. Hipp. loc. pag. 101.*
(c) Vide Lieuth. *Synop. univerſ. prax. de Vermib. lib. 1. ſect. 4. pag. 242.*

plurimum facit, requirunt enim haec animalcula humorum ſtagnantium copiam, quibus naſcantur & creſcant. Hinc familiares ſunt lumbrici iis, qui ob ingluviem, cruditates, putredines, obſtructionibus inteſtina replent. Omnium maximè diatheſis ad lumbricos generandos conducit, ea enim efficit, ut humores obſtruentes certo determinatoque modo inficiantur, & putredinem concipiant vermibus generandis idoneam. Haec diatheſis ſaepe à principiis generationis fundamenta recipit, ac poſtmodum caeteris accedentibus cauſis in actum deducitur. Semen in generatione corruptum, praeternaturaliter affectum, & fortè infectum vermiculis (a) ſentinam in foetu parit, ut, more aliarum affectionum, quae à parentibus in filios tranſeunt, procedente tempore, lumbricorum generationem adjuvet. Haec forte eſt ratio, cur pueri prae caeteris aetatibus hoc malo moleſtentur, ea enim eſt eorum conditio, ut naturae lege morbos à parentibus acceptos & magis explicent, & motibus vitalibus à ſe depellere nitantur. Accedit etiam humoribus verminoſa diatheſis, quoties inteſtinorum humor nativus certo atque determinato modo corrumpitur, ut lumbricorum fomes eſſe poſsit & nutrimentum, praeſertim cùm ſemina animalculorum in eo recipiuntur nec diſsipantur. Hinc fit, ut aliqui lumbricorum proventui obnoxii ſint, ſecùs alii: quod ex varia humoris corrupti diatheſi naſcitur. Ex cauſis efficientibus potiſsima eſt aër, occulta enim vi, ſed mirabili, modo certorum viventium generationem promovet, modò impedit. Nemo eſt vel mediocriter in naturae operibus verſatus, qui neſciat, certas annorum conſtitutiones certa animalia laedere, & epidemicis morbis conſumere, alias autem eadem animalia intacta relinquere, quod ſimiliter in plantarum, ſeminum, & fructuum proventu contingit, ut veriſsimè dici poſsit, generationis, conſervationis, & ſalubritatis animalium & viventium, maximum opificem eſſe aërem. Diaeta ſuum hic locum habet, cùm ex alimentis crudis, craſsis, in putredinem pronis, facilè in alvo ſtagnan-

(a) *Vide Phyſiolog. noſtr. tract. 6. prop. 37. num. 156. pag. 294.*

nantibus conficitur. Adjuvant etiam potuum, praecipuè corruptorum, & vitae, genera, cùm haec humoribus corrumpendis conducunt, neque tamen exercitationibus & laboribus difflantur. Animi pathemata non adhuc mihi obſervatione compertum eſt lumbricorum generationi favere; at naturam agitando, atque variis modis, juxta pathematum indolem, movendo, vermium ſemina in occulto latentia poſſe in actum deducere, nullus dubito.

Malorum lumbricos comitantium hiſtoriam ordinatam texere, perquam difficile eſt, hactenus enim non omninò licuit obſervatoribus phoenomena vermium inteſtinalium certis limitibus & temporibus concludere, unde factum, ut plurima ſymptomata confusè & ſine ordine proponantur. Ergo quae circa lumbricorum praeſentiam annotanda ſunt, ita ſe habent. A ſexto anno ad pubertatem familiares, ſed nulli aetati parcentes: nihil conſtans inter ipſa quae adducunt mala, ſed erraticis motibus & inconſtantibus omnia fermè ſymptomata ſeſe produnt, ut modò quieſcere, modò nulla interjecta mora inquietos eſſe aegrotantes, videamus. Igitur morſus inteſtinorum, interdum etiam ventriculi, ſub vermium proventu moleſtant: tuſsis arida, ſed certo tuſsiendi ſchemate, non niſi obſervationibus agnoſcendo, diſtincta: inter dormiendum tremor, & ſine ratione excitatio, vociferationes, & ſubitanea in ſomnum reverſio. Pulſus inordinati: febres etiam ſine ordine, erraticae, cum partium extremarum frigiditate: alvus fluida: dejectiones albicantes, pulmentis ſimiles: abdomen tenſum, nunc elatum, nunc depreſum: cibi faſtidium, interdum fames inexplebilis, halitus ex ore corrupti, nunc acidam, nunc putridam mephitim olentes: oculi flammei: genarum livor: dentium ſtrepitus & ſtridor in ſomno: vel peculiaris labiorum & faucium motus, deglutitionem in modum lactentium aemulans. Quod ſi his omnibus ipſorum vermium per os, nares, aut podicem excluſio accedat, evidentiſsimum inde ſignum lumbricorum deducitur. Haec fermè à vermibus vix ſeparantur phoenomena, ſed cùm morbus vehementior eſt, alia longè graviora accedunt, ſuffocatio nempè, iliaci dolores, vertigines, motus convulſivi, affectus comatoſi, delirium, aphonia, paralyſis, animi deliquium,

quae

quae omnia inevitabilis mors ſuccedit. Sed notare expedit, haec phoenomena turbulentè & ſine ordine ſupervenire, ut modò delirium, modò ſana ratio, aliquando ſtupor, non multò poſt mentis acies aegrum comitentur. Sed haec ſymptomata, etſi probabilem de lumbricis conjecturam praeſtent, non adhuc omninò certam de eorum praeſentia notitiam praebent, ſunt enim ea mala aliis etiam morbis communia, ut affectionibus hyſtericis, febre praeſertim acuta conjunctis, febribus item malignis primarum viarum putredine complicatis, nec rarò viſcerum phlogoſes, cùm acutae fiunt, ſimilia ſymptomata creant. Ergo cum Medicus ea videt, ſedulò inſpiciat, num inflammatio ventris partes occupet, aut uteri vitium adſit, vel febris aliqua maligna cum alvi putredine praedicta mala excitet, ineptum enim foret ſub his caſibus de lumbricis judicare. Quod ſi hae aegritudines procul abſint, interea tamen aeger propoſitis ſymptomatibus moleſtetur, de vermibus ſtatim cum ratione ſuſpicionem habebit. Adde, ea omnia phoenomena, cùm à lumbricis naſcuntur, citò, tumultuariè, nullis ordinatis temporibus ſeſe prodere; quod ſecùs in aliis jàm dictis morbis fieri conſuevit, cùm in iis alia ſit ſymptomatum ſeries & vis in initiis, alia in ſtatu, cunctaque, ſecundum ſua tempora morbo congruentia, concurrant.

Ad lumbricorum curationem fermè nihil aliud practici praeſcribunt, quàm medicamina vermes necantia, eoſque è corpore extrudentia, quae *anthelmintica* vocant. Sed altiores erigere animos expedit, & ad morbum, cujus vi vermes producuntur atque foventur, reſpicere, niſi enim ita fiat, etſi praeſentes lumbrici expellantur, facillimus erit aliorum proventus. Igitur medicamenta phlogoſi & putredini reſiſtentia primùm propinanda, quibus ſubinde, quae vermes enecare creduntur, admiſcenda. Venae ſectio rarò hic locum habet, mirum enim quantum vires imminuit, quàm parum levat, ut in omnibus morbis nimia putredine conjunctis contingere ſolet. Purgantia, malo incipiente, noxia, irritant enim, commovent, atque adeò morbum non levant, ut augeant. Ergo diluentia, abſorbentia, temparantia, amaricantia, hic locum habent. Decoctum ex hordeo, acetoſa, agrimonia,

taraxaco, addito pauxillo centauri cum nitro, utile eſt. Raſurae cornu cervi, eboris, aqua fontis coctae, addito ſpiritu nitri dulcis ad gratam aciditatem, pro potu ordinario commodè praeſcribuntur. Remedia athelmintica tot tantaque ab auctoribus traduntur, ut in immenſum creſceret pagina, ſi enumerare vellem. Selectiora cenſentur corallina, ſemen ſantonicum, tanaceti, portulacae, aloe, amigdalae amarae, centaurum minus, abſinthium, rhabarbarum, oleum amigdalarum dulcium, ſaccharum vermifugum ex Pharmacopea Matritenſi, ſuccus limonum, ſyrupus de abſynthio, de cichorio cum rheo, florum perſicorum, aetiops mineralis, mercurius dulcis, &c. ex quibus decocta, potiones, juſcula, aliaeque medicamentorum formae, pro re nata, effingi poſſunt. Sed notandum, non adhuc ſatis conſtare, medicamentum aliquod vi propria vermes interficere, multumque credulitatis & incertitudinis in auctorum ea de re exagerationibus vigere. Interea id certum eſt, nimium calida non conferre, quin potius nocere, febrem enim, phlogoſim, & putredinem augent. Acida medicamenta potiora ſunt athelmintica, putredini enim reſiſtunt & temperant. Amara non nimium calida proſunt acidis mixta, non quod vermes amaritiem horreant, id enim anicularum figmentum eſt, ſed quod cruditates corrigunt, febres fugant, parteſque firmant. Clyſteres ex oleo cum decocto herbarum emollientium & amaricantium utiles ſunt. Sed caeteris omnibus, quantumvis ſpecioſis, palmam praeripiunt clyſteres ex kina in pulverem redacta & aqua ſimplici mixta, identidem repetiti, vim enim habent efficacem febres fugandi, dum etiam putredini reſiſtunt & inteſtina roborant. Quinimo kina interius aſſumpta, poſt ſatis elutriatam alvi ſaburram, praeſtantiſsimum eſt remedium.

APHORISMI.

I.

In uſu remediorum cauti ſimus: nam vehementioribus medicamentis ſaepe adeo irritantur, ut convulſiones aut animi deliquia

quia excitent, & ſaepe ad ipſam mortem deducant (a).

„In magnis infantum torminibus (inquiunt Medici Ura-
„ tislavienſes) cave, diutius amaris his inſiſtas, nam, exhibitis
„ his, dolores crudeliores excitantur. Pulverem corticis peru-
„ viani inter eximia anthelmintica meritò numeramus (b).

II.

In ſanguineis majori efficacia ſeſe commendant acida, atque inter haec prae primis, tamquam multis ſcopis ſatisfacientem, depraedicamus mixturam ex tinctura violarum & ſpiritu vitrioli, qua cum optimo ſucceſſu uſi ſumus, tum potiſſimum quando ſimul, quod minimè rarò fit, haemorragia narium nimia vermibus obnoxii infeſtantur (c).

Perpetuum non eſt, narium pruritu vexari eos, qui vermibus laborant, ac fortaſſe iis accidit, cùm haemorragia narium imminet, cujus prodromus eſſe ſolet. Sed ipſa propenſio ad haemorragiam narium in verminoſis affectionibus probat, has, partium alvi calore nimio, & ſanguinis fervore, ſimul labefactari, ut propterea neceſſe ſit medicamina calida, irritantia, commoventia prorſus fugere.

III.

Etſi vivum argentum praecipitato & ſublimato longè tutius ſit, & in caſibus deſperatis contuliſſe atque utile fuiſſe, negandum non ſit: tamen ubi neceſſitas non urget, & aliis mitioribus medicamentis res peragi poteſt, iis utendum, cum aliquam pravam diſpoſitionem corpori facilè imprimere poſſit (d).

Ut veteres Medici internum mercurii uſum reformidarunt, ſic recentiores ipſum frequenter & in omnibus fermè morbis praeſcribunt, innoxium praedicant, & ſummis laudi-

(a) Sennert. *Pract. lib.* 3. *part.* 2. *ſec.* 1. *cap.* 5. *pag.* 419.

(b) *Hiſtor. Morb. Vratislav. anno* 1699. *pag.* 35.

(c) *Hiſtor. Morb. Vratislav. loco citato.*

(d) Sennert. *Pract. lib.* 3. *part.* 2. *ſec.* 1. *cap.* 5. *pag.* 420.

dibus extollunt. Ad vermes enecandos maximum esse praesidium uno fermè ore praedicant. Mercurium vivum quidam in aqua concoquunt, eamque pro potu ordinario bibendam praebent. Alii, ipsum mercurium crudum saccharo intimè mixtum, sub nomine sacchari vermifugi ipsis puerulis tutò praescribi posse, affirmant. Alii denique, praeparata chymica ex mercurio, ut aetiopem mineralem, mercurium dulcem, &c. sine metu exhibenda esse, censent. „ Sed parum „ fidendum decocto hydrargirii ex aqua vel quavis ptisana, „ quod infantibus ad vermes enecandos pro potu ordinario „ praescribi solet, inquit Lieuthaudus (a). At multò minus fidendum caeteris quibuscumque medicamentis mercurialibus, censemus, etsi enim, caeteris nihil proficientibus, sub pauca admodum dosi adversus vermes praescribi posse, non inficiemur, praesertim pulverem vermifugum, tamen, cum fieri potest, ab his abstinendum, nam mercurius omnis infensissimus est naturae hospes, tanto magis timendus quanto acrioribus medicamentis praeparatur. Mercurius semel corpori intrusus necessariò ejiciendus est tamquam res naturae molesta; cùm tamen ejus expulsio non semper tutò fieri possit, imò sine magna turbatione & agitatione numquam fiat, propterea cautè admodum, nec, nisi cùm aliter fieri non possit, exhibendus. Sub hoc casu mixtura mercurii cum debita dosi rhabarbari, seu syrupi ex eo confecti, tutius assumitur.

IV.

Nonnulli demum aquam gelidissimam, quae vermibus adversari dicitur, summis laudibus extollunt, nec fortè immeritò (b).

Aqua frigida benè ac sapienter propinata magnorum morborum praesidium est, sed in vermibus, addito nitro, plurimum confert, non modò ad curationem, sed etiam ad praecautionem. Nonnulli lac celebrant ducti experientia Francisci Redi, qui lumbricos variis liquoribus immitens, in lacte ci-

(a) Lieuth. *Synop. univer. prax. lib.* 1. *sec.* 4. *pag.* 244.

(b) Lieuth. *Synop. univer. prax. lib.* 1. *sec.* 4. *pag.* 244.

citius extinctos animadvertit. Sed ex his, quae extra corpus contingunt, ad ea, quae intra corpus fieri debent, non esse argumenta ducenda, quivis vel mediocriter in praxi versatus intelligit. Ego verò cùm lumbricis affectos viderim alvi fluxu, febribus, ventris inflationibus vexatos, à lactis usu abhorrui, & ulterioribus observationibus rem esse confirmandam, censeo.

CAPUT XV.

DE CACHEXIA ET HYDROPE.

CAchexia ex vi vocis est: *pravus corporis habitus.* Dicitur corporis habitus externa ejus superficies sensibus percepta. Cum verò sensus in extrema corporis forma percipiant colorem, & molem seu volumen, propterea prava superficiei mutatio in mole & colore cachexia est. Porrò cùm quivis facilè agnoscat colorem & volumen habitus sani, facile est depravatam ejus formam in colore & mole sensibus percipere. Hinc colores nimium albicantes, rubicundi cum corporis intumescentia conjuncti: item color lividus, niger, pallescens, chlorus, cachexiam monstrant. Moles etiam corporis nimium aucta, aut imminuta eandem manifestat. Sub hac generali cachexiae notione omnes morbi comprehenduntur, qui summam corporis cutem & molem quovis modo deturpant. Huc pertinent omnes tabis species: intumescentiae deformes: affectiones cutaneae, ut impetigines, lepra, scabies, elephantiasis: scorbutus: ictерus, aliaque id genus multa pravum corporis habitum monstrantia. Sed ne nominum confusio rerum pariat obscuritatem, advertere expedit, citatos morbos, etsi sub generali cachexiae nomine comprehendantur, seorsim à Medicis considerari, & quidem rectè, quia singuli suos habent caracteres, propria phoenomena, speciales laedendi leges, atque determinatam & distinctam postulant curationem. Propter has causas in praesenti non agimus de cachexia generali, sed speciali & propria, quae est: *Depravatus corporis habitus ex humore aqueo crudo, in diuturnitatem conversus.* Haec cachexiae species viam parat ad hydropem, fitque, cùm humor aqueus

cru-

crudus ſummam occupat cutem, colorem vitiat, & intumeſcentiam affert. Rarò ſolus aqueus humor in hoc morbo adeſt, ſaepe enim melancholici & bilioſi ichores ſimul concurrunt, ſed, ob exuperantiam, aqueis cruditatibus cachexia tribuitur. Ex colorum varietate & intumeſcentiae genere, an bilis, aut melancholicus humor cum aqueo miſceantur, quivis agnoſcet juxta ea, quae de horum humorum generatione & praeſentia in *Inſtitutionibus* attulimus (a). Cachexia perpetuò cum cacochimia conjungitur, fieri enim non poteſt, ut corporis habitus depravatus ſit ſine pravo humorum proventu. Neceſſe tamen non eſt, ut ubi cacochimia eſt, ibi etiam cachexia reperiatur, latius enim patet illius quam hujus vis, etenim nullus eſt morbus, qui cacochimiam tamquam neceſſarium effectum non deferat (b), at cachexia eſt tantùm cacochimia habitus corporis, atque ita ad ſymptomata pertinet primi generis, quae in corporis externi affectu conſiſtunt (c). Modus generationis eò vertitur, ut cachexia modò ex viſcerum labe, modò ex ipſius habitus vitio contrahatur. Attentè ergo Medicus in cachexia videat, num cerebrum, pulmones, hypocondria, aut aliae internae partes, deformem reddant corporis habitum, an vitium in eo hoſpitetur, haec enim cognitio fundamentum eſt curationis. Quocumque autem modo accedat cachexia, neceſſe eſt, ut corporis ſuperficies aqueis & crudis humoribus repleatur, inde enim deformitas coloris & voluminis oritur. Duo ſunt modi, quibus hujus humoris collectio ſub ſumma cute fit. Interdum ex alimentorum cruditatibus ob viſcerum abdominalium labem, vel ex ſanguine crudo & aquoſo corporis ſuperficies depravatur. Aliquando quamquam ſanguis & alimentum integra ſint, in ipſo habitu corporis corrumpuntur. Haec praeternaturalis humorum alibilium mutatio in ſuperficie fit quandoque, cùm humor nativus, cutem parteſque vicinas conſtituens, aqueus & crudus eſt, ſuamque labem accedenti alimento communicat. Non rarò autem ex

(a) *Vide Phyſiolog. noſtr. tract. 3. prop. 21. & Pathol. tract. 2. prop. 11. num. 49. pag. 493.*

(b) *Vide Patholog. noſtr. loco citato.*

(c) *Vide Pathol. noſtr. tract. 3. prop. 12.*

ex imbecillitate facultatis nutrientis provenit, cùm ſcilicèt humor partibus adhaerens ad nutritionem, non poteſt integrè commutari in naturam viventem, & ſemicoctus ibi manet. Cachexiam ita generatam optimè monſtravit Galenus (a), & recentiores aliqui *facultatis* defectum ad hunc morbum generandum planè agnoſcunt (b). Ergo cùm cachexia prodromus ſit hydropis, neque ex ſe ſpecialem poſtulet curationem, quae perpetuò ad morbum habitum corporis inficientem dirigenda eſt, propterea quae hic de hydrope dicenda, pro ulteriori cachexiae cognitione & ſanatione ſufficient.

Hydrops generale nomen eſt quamvis aquae collectionem in corpore ſignificans, ſed nomen partis determinatae additur, cùm hydrops particularis deſignandus. Sic hydrops capitis, pectoris, ſcroti, uteri, &c. aquarum collectionem in his partibus denotant. Celebratiſsima tamen, & à doctoribus ſcholarum communi calculo comprobata eſt ea hydropis denominatio, quae aquae collectionem ſignificat in ventre, & *aſcites*: vel in habitu corporis inter ejus tegumenta & carnoſas partes, & *anaſarca*, ſeu *leucophlegmatia* nominatur. Tertium ab iiſdem additur hydropis genus, & *tympanites* vocatur, qui non ab aqua, nec à ventre, ubi ſubſiſtit, ſed à flatu & ſonitu tympani, quem edit, denominationem accipit: undè apud Medicos ſcriptores tripartitò dividitur hydrops, ſcilicèt in aſcitim, tympanitidem, & anaſarcam. Sed, re attentè conſiderata, unica tantùm eſt hydropis ſpecies, nempe aſcitis ab utre denominationem accipiens, in ventre enim aqua velut in utre continetur: tympanitis reipſa aſcitis eſt, cùm aqua multo ſpiritu flatulento turget: anaſarca cachexiae genus eſt ulteriore duratione hydropem aſcitim poſt ſe trahens. Hippocrates ſub hydropis nomine ſemper aſcitim intellexit, quia haec ſola verus hydrops eſt: caeterae aquarum collectiones per ſimilitudinem hydropes vocantur, ut probavimus in Illuſtrationibus ad Hippo-

(a) *Vide Phyſiol. noſtr. tract. 6. prop. 35. num. 149. pag. 283.*

(b) Vide Boher. *Aphor. de cognoſc. & cur. morb.* §. 1167.

pocratis Prognoſtica (a). Propterea nobis hic ſermo erit de aſcite, tamquam vero hydrope, & pro uſu tironum aliqua praelibabimus de anaſarca, quae morbus ſatis frequens eſt: ſed caeteras aquarum collectiones rarò accedentes, & chirurgicam manum ſaepe poſtulantes, cùm occaſio tulerit apud auctores videre poterunt. Eſt ergo aſcitis: *Aqueae humiditatis, crudae, ichoroſae, ſpiritu flatulento turgentis, in ventre inferiori collectio, tumefactionem in eo inducens.* Non aqua pura hydropicorum ventrem inflat, ſed flatibus & ichoribus, hoc eſt, ſero vitioſo & corrupto, referta: „ Quodcumque „ enim vacuum repletur, ſanum quidem ſpiritu, morbo„ ſum ichore (b), quod dogma in Phyſiologia ſatis declaravimus (c). Hydrops morbus partis organicae in magnitudine aucta dici poteſt, ſed quin id obſtet (d), ut triplex ſymptomatum genus ſub ſe includat, etenim adaucta moles affectum corporis vitiatum, ut in cachexia vidimus, probat: ſeri corrupti ſtagnatio ſymptoma in retentis: harum rerum praeternaturalium praeſentia actionem coquendi, expellendi laeſas demonſtrat. Morbus horum ſymptomatum productor eſt intemperies partium ventris calida, & ſpeciali modo vitiata. De parte affecta magna eſt diſcordia non modò inter veteres & recentiores, ſed inter utriuſque ſectae patronos. Galenus hepar praecipuam partem affectam in hydrope cenſet, nam etſi à liene aliiſque partibus fieri poſſe, non neget, tamen ex iis hepar affici neceſſariò debere, credit (e). Mirum! quot ſequaces in ſcholis habuerit, plerique enim in Galeni partes tranſierunt, paucis exceptis, qui hepar interdum primariò, interdum ſecundariò, aliquando nullo modo laeſum in hydrope agnoſcunt. (f) Recentiores fermè omnes vaſa lymphatica pro parte primò affecta habent, cùm nimiùm

---

(a) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Prog. ſec. 2. text. 1. pag. 79.*

(b) Hipp. *lib. de Arte, verſ. 164.*

(c) *Vide Phyſiol. noſtr. tract. 2. prop. 11. num. 65. pag. 100. & tract. 3. prop. 19. num. 88. & tract. 3. prop. 22. num. 103. pag. 199.*

(d) *Vide Patholog. noſtr. tract. 1. prop. 2. num. 8. pag. 397.*

(e) VideGal. *de Locis affec. lib. 5. cap. 7.*

(f) Vide Sennert. *Pract. lib. 3. part. 6. ſec. 2. cap. 3. quaeſt. 1. pag. 560.*

miùm distenta aut rupta lympham fundunt, quae cavitatem replendo, insignem ventris molem efficit. Non desunt tamen qui horum vasorum ruptionem negant, sed eam acriter Vanswietenius propugnat (a). In hac re nihil magis mirandum, quàm virorum, alioqui celebrium, ex praeconceptis opinionibus hallucinationes, cùm vasa lymphatica, eorum distributio, caetera, quae de illis à Neotericis traduntur, incerta sint, atque rem obscuram, at certam, auctores isti per aliam obscuriorem, & fortè non existentem monstrare contendant (b). Nobis pars proximè affecta est alvus, omnesque ejus particulae: nec diffitemur, ab aliis posse malum communicari. An aqua in hydropicis haereat & stagnet in ipsa interiori abdominis cavitate: an in peritonaei duplicatura: an potius inter musculos & tunicas, dubitant aliqui. Sed placet Vanswietenii sententia, qui, triplici modo aquam in regione abdominis colligi posse, affirmat: „ Vel enim in ca-„ vo abdominis liberè fluctuat, & viscera abdominis undique „ alluit: vel in cavis membranis dilatatis haeret: vel denique ex-„ tra abdominis cavitatem colligitur, & tunc intra duplicatu-„ ram peritonaei haerere dicitur... Neque videtur adeo magni „ momenti futurum ad morbi curationem, sive aqua haereat „ in duplicatura peritonaei, sive inter peritonaeum & mem-„branam tendinosam. Proderit semper novisse, an aqua hae-„ reat in abdominis cavo, an extra illud (c). In signis tradendis loci, ubi aqua hydropicorum in ascite colligitur, insudant nimium Neoterici, atque quod unus ratum habet, alter incertum judicat (d). „ Unde patet nihil temerè hic conclu-„ dendum esse, & famam Medici saepe in hac diagnosi pe-„ riclitari, nisi ad omnia, quae toto morbi tempore con-„ tigerunt, attentissimus fuerit (e). Memini, me aperuisse coram discipulis ventrem foeminae ex immanissima ascite mortuae. Prodierunt plusquam centum aquae librae, non in

(a) Vansw. *Com. in Aphor. Boher.* §. 1228. *num.* 2. *pag.* 188.

(b) *Vide Physiol. nostr. tract.* 2. *prop.* 6. *pag.* 73.

(c) Vansw. *Com. in Aphor. Boerh.* §. 1226. *pag.* 160. & 161.

(d) Vide Vansw. *loco citat. pag.* 164. *& seq.* & Lieuth. *Synop. univer. prax. lib* 1. *sec.* 4. *pag.* 274.

(e) Vansw. *loco citat. pag.* 166.

cavo abdominis, ſed in ejus partibus continentibus contentae, ut meritò Latini ſcriptores hunc morbum *aquam intercutem* appellaverint. Inteſtina, jecur, lien, caeteraque viſcera abdominalia integra omninò erant, quare hepar non perpetuò in hoc malo affici pro certo habemus. In examinandis viis, per quas aqueus humor in abdomen tendit, ut ibi ſtagnet, inſudarunt veteres & recentiores (a). Sed improbum inutilemque eum eſſe laborem, ex eo patet, quod res haec prorſus ſit imperſcrutabilis, & ad curationem hujus morbi nihil referat.

Plethora, cùm ex ſuppreſsis haemorroidibus, menſtruis, aut aliis quibuſvis ſanguinis excretionibus oritur, hydropem facillimè accerſit; quod non aequè efficit cùm ex alimentorum copia, otio, in ſanis hominibus colligitur. Obſtructio potiſsima eſt hydropum cauſa occaſionalis, ſi enim quavis de cauſa urinae viae obſtruantur, venter ſupprimatur, & exhalatio vaporum per cutem impediatur, diſpoſitio paratiſsima eſt ad hunc morbum ſuſcipiendum, multò facilius ſi accedat diatheſis, quae uti aliis malis, ita huic producendo neceſſaria eſt. Inter efficientes cauſas aër primum ſibi vendicat locum, nam praeter epidemicas conſtitutiones hydropem facilè inducentes (b), cùm nimia humiditate ſubitò replet corpora, praeſertim poſt magnos ſquallores, hunc morbum in corporibus diſpoſitis ſaepe accerſit, quod benè notandum, parum enim hodierni ſcriptores de hac cauſa omnium potentiſsima curant, in mechaniſmo, ut ajunt, inquirendo vanè occupati. Altera cauſa efficiens hydropis, & quidem ſatis valida, eſt diaeta. Nimius aquae potus: vini, cereviciae, potuum ſpirituoſorum ingurgitatio: ſubita, vel diutius repetita ciborum frigidorum humidorumque copia, accedente praeſertim otio, & cruditatibus, hydropica mala poſt ſe trahunt. Nec omninò alienum eſt, animi pathemata tùm commovendo, cùm maximè ſpiritus diſsipando, aqueae humiditatis fomitem quandoque promovere.

Cùm

(a) Vide Sennert. *Pract. lib.* 3. *part.* 6. *ſec.* 2. *cap.* 3. *quaeſt.* 3. *pag.* 563.

(b) Hipp. *lib.* 1. *Epidem. ſec.* 2. *text.* 15.

Cùm verò praesentibus causis occasionalibus & efficientibus hydrops accedit, haec omnia concurrunt. Primùm: viae à natura destinatae pro aqueae humiditatis excretione occluduntur, indeque serosus humor intus remanet, atque ita fit, ut ante ascitis accessum urina minuatur, & sudores & transpiratio. Secundò: halitus aqueus vaporosus, quo perpetuò madent viscera abdominis (a), condensatur, dum tunicae & membranae viscera cooperientes densiores reddunтur, quod in omnibus aegris hoc morbo affectis observari facilè potest, etenim membranosum genus in ipsis siccum, durum, densumque redditur. Tertiò: humor nativus partium abdominis, certa & ineffabili diathesi, humoris aquei generationi & condensationi conducit, sicut enim in partibus corporis ob specialem diathesim varii generantur humores praeternaturales, ut alius erysipelati, herpeti, impetigini: alius arthritico, podagrico, syphilitico: alius cancroso, strumoso, scorbutico, atrabiliari humori, & sic deinceps, vel invitus sit paratus, eodem modo aquei humoris proventui abdominalia viscera interdum favere, indeque hydropem saepe nasci, ex practicis observationibus edocemur. Haec ideo breviter attingere voluimus, quoniam in curatione magni hujus mali omnia perpendenda sunt, ut ritè peragatur.

Hydrops interdum morbos acutos sequitur, ut viscerum abdominalium inflammationes, febres ardentes, citòque aegros in summam perniciem ducit; at ut plurimum morbus longus est, sensimque accrescere solet, ac nonnumquam ex se incipit, saepe obstructiones inveteratas, aut scirros partium ventris, vel, quod frequentissimum est, cachexiam, leocophlegmatiam sectatur. Congruens ergo est hanc prius describere, ut transitus in hydropem, quantum fieri possit, impediatur. Igitur leucophlegmatia pueris frequentior quam adultioribus est, fereque eos adoritur, qui crebrò sanguinem vomitu, vel alvo reddunt. Hoc mali genus diuturnas febres, vitiosum ventriculi habitum, nimium

(a) Vide Vanswiet. *Com. in Aphor. Boer.* §. 1228. *pag.* 189. & *Physio-log. nostr. tract.* 2. *prop.* 11. *num.* 65. *pag.* 100.

compreſſos nimiumve fluentes, tum menſes, tùm haemorroides, aut longam reſpirationis difficultatem, & immodicas vigilias excipere conſuevit. Praeſente jam anaſarca, corpus molli tumore grandeſcit, maximequè tibiae ac pedes, cùm alias, tum potiſsimùm veſpere, & poſt exercitationem, aut cùm diu declives hae partes fuerunt. Is tumor, ſi premitur, foſulam relinquit, impreſsi digiti veſtigium. Femore item, & ſcroto intumeſcunt, ita tamen, ut tumor, qui veſpere ingens in pedibus erat, manè omnem penè molem depoſuerit. Color cutis cum pallore ſubalbidus, aliquando etiam chlorus, vel plumbeus. AEger tardus eſt & piger ad motum. Spiritus difficilè trahitur, maximèque poſt cibum. Febris inordinata continenter afficit, nocturnis horis ingraveſcens. Pulſus undoſus eſt, creber, & inaequalis. Interdum alvus dejicit cruda, bilioſis mixta. Urinae variae, modò tenues, aquoſae, albeſcentes: modò craſſae, difficulter prodeuntes. Hoc malum, niſi ſub hoc ſtatu curationem accipiat, certò tranſit in aſcitem. Dum haec praeſens eſt, venter totumque abdomen cum quodam gravitatis ſenſu intumeſcit, inferioreſque corporis partes, à ventre ad pedes uſque, tumorem concipiunt. Nec rarum eſt, humorem aqueum ſub hoc ſtatu ſcrotum, & pectoris etiam partes occupare, & fluctuationis quemdam ſonum in ventre, dum aeger revolvitur, efficere. Ad haec ſpirandi adeſt difficultas, cibi faſtidium, ſitis moleſtiſsima, &, ſi morbus urget, tuſsis etiam ſicca ſupervenit. Interea totum corpus contabeſcit ex nutritionis defectu. Febricula, corrupta intus aqua, naſcitur. Urina perpauca mejitur, eaque craſſa & rubicunda eſt. Pulſus parvus, durus, tenſus. Quod ſi flatus magna copia cum aqua miſceantur, ut aſcites cum tympanitide mixta ſit, venter inſtar tympani tenſus eſt, rugitus & murmuris perceptio potius, quam fluctuationis, adeſt. Comitatur magnum eructandi deſiderium, ructuque edito levari aeger aliquantulum videtur, verùm decipit ea ſaepe res, malum enim tenax & celeri diſcrimine plenum. Etſi pedes non uſque adeo, ut in caeteris hydropis generibus, tumeant, corpus tamen citius vehementiuſque contabeſcit. Pulſus longior, celerior, & durior cum tenſione obſervatur. Hydrops

om-

omnis morbus periculoſiſsimus eſt, multiſque aerumnis & laboribus patientes tum demum conficit. Salus tantùm ſpectanda, cùm nullo antecedente morbo coepit, & viſcera firma neque corrupta ſunt: ſi reſpiratio illaeſa ſit, nullaque tuſsis, ſitis, aut linguae ariditas, praecipuè à ſomno, quo tempore incidere illa maximè ſolent, aegrum moleſtet. Ad haec dum nullum ſibi faſtidium, neque epulis aſſumptis moleſtia eſt: dum venter interim mollis eſt, vel ſenſim extenuatur, aut excrementum fundit molle ac figuratum: cum denique homo doloris, caloris, & laſitudinis expers morbum facilè ſuſtinet. Qui omnia haec habet, tutò laborat: at qui magnam partem harum rerum conſequitur, etſi in diſcrimine ſit, non prorſus de ſalute deſperare debet. Contra, ſummum periculum lethalemque exitum promittit hic morbus, cùm hypocondria ſcirris, obſtructionibus inveteratis, aut longa phlogoſi conſumpta ſequitur: itemque ſi poſt morbos acutos incoeperit, ſic enim numquam, aut vix umquam ſaneſcit. Diſcrimen autem augetur, quoties alvus ſanguinem dyſenterico modo, aut alium humorem ſine levamine fundit. Praeterea, epilepſiam ſupervenire: malè olere corpus, ſpiritum, ſputum, aut ſudorem: urinam paucam, turbatam, & crebrò emitti: ſublatum aut imminutum morbum ſaepius & brevibus intervallis revertere, neque idoneis remediis remittere, periculoſiſsimum eſt. Ad extrema ventum eſſe ſignificatur, ubi ſub virium debilitate profluit alvus, ſimulque ſpirandi difficultas augetur: ubi ulcera os, gingivas, tibias occupant: ubi veluti concretus ſanguis ex alvo dejicitur: ubi denique urina diverſis matulae regionibus diverſos colores exhibet, ſic ut infernè rubra ſit, ſupernè livida, aut contra.

In omne hydrope curando duae ſe ſe offerunt intentiones. Primùm, ejicienda eſt è corpore humiditas aquea ipſum opprimens. Deinde, roboranda eſt natura, ne ulteriorem aquae productionem foveat, niſi enim id fiat, aqua quidem educetur, ſed citò alia de novo, vi morbi genita, ſuperveniet. Iſtae indicationes eodem tempore peragendae, ut, cum morbi producta ejiciuntur, eorum nova generatio impediatur. Fatendum tamen, aquarum è corpore educ-

tio-

tionem non adeo difficilem esse, sed earum productionem novam impedire, hoc opus, hic labor est. Quod primam indicationem attinet, diverso quidem modo procedendum in diversis aquae collectionibus. In leucophlegmatia: „Si „ aeger difficulter spiraverit, & tempus vernum fuerit, & „ simul aetas viguerit, & virium robur adsit, de brachio „ sanguinem detrahere oportet: deinde panes calidos ex vino „ nigro & oleo tinctos edat: & quam minimum bibens „ quamplurimum laboret (a). Ubi hydrops ex suppressa aliqua sanguinis excretione ortum duxerit, sub initiis tolerat venae sectionem parca manu celebratam, qui enim audaciores in aperienda vena fuere, falsis indutiis delusi sunt, malum enim dein exasperatur contumaciorque evadit. Neque omittendum, proprium huic morbo esse: „Ut eadem „ die aegrotans quandoque melius habeat, quandoque pe„ jus (b). Praeter haec, aqua hydropicorum educitur per alvum, vomitum, urinas, sudores. Hinc adducunt Medici ad solvendam alvum purgantia valentiora, ut jalapam, gumi guttae, brasicam marinam seu soldanelam, scamonium, succum expressum iridis nostratis, esulam, gratiolam, elaterium seu succum cucumeris asinini. Chimici consulunt squamam aeris, antimonii, & mercurii praeparata, arcanum coralinum, aliaque id genus multa, hydropicorum aquam potentissimè educentia. His, aliisque quamplurimis referti sunt practicorum libri, & hodiernae Pharmacopeae usque adeo turgent, ut circulatoriam potius artem, quam medicam, redolere videantur. Sunt igitur ex propositis medicamentis quamplura prorsus ableganda, dum enim aquas educunt, naturam irritant, & lacessendo debilitant, usque adeo, ut novam aquarum generationem, indeque morbi augmentum certè promoveant. Ergo praeparata chimica ex mercurio, & antimonio: ex vegetabilibus soldanela, gumi guttae, elaterium, gratiola, esula, caetera similes virtutes habentia, omninò fugienda, subest enim in omni hydrope urens quidam calor

(a) Hipp. *de Vict. ration. in acut. sec.* 4. *text.* 62. *ex Marinel.*

(b) Hipp. *lib.* 2. *de Morb. text.* 69.

lor viſcera depaſcens, qui his medicamentis, mirum! quantum exacerbatur. Igitur ſcamonium, jalapa, ſuccus iridis, rhabarbarum, & ſimilia, benè ac ſapienter adminiſtrata, hydropicorum aquas educent, quod non ſubitò, ſed paulatim faciendum, experientia monſtravit. Eductio aquarum per ſudores quibuſdam tentata eſt: parum tamen auxilii aegris attuliſſe vidimus, quin potius calefactio his medicamentis inducta eos exaſperavit. Sed decoctum ex ligno ſaſſafras, & radice chinae pro potu (ſi quidem potus hydropicis aliquando conveniat) non ſudationibus, ſed exſiccatione prodeſſe novimus. Per urinas commodiſsimè, ſi fieri poſsit, purganda eſt hydropicorum humiditas, omnium enim viarum haec ſecuriſsima eſt. Fugienda tamen diuretica fortiora, nimis enim agitando & calefaciendo nocent. Igitur radices quinque apperientes: millepedes praeparati: lixivium ex cineribus geniſtae, ſtipitum fabarum: aliaque hujuſmodi, pro re nata, in uſum adduci poſſunt. Pro generali axiomate tenendum, medicamenta hydropicis, in forma liquida, ut ajunt, non eſſe praeſcribenda, aqua enim corpus replent; ſed, in pillularum, ſyrupi, electuarii, aut aliam formam ſiccam, reducenda. Sunt qui cantharides in caſu deſperato exhibent. „ Nec reformidandus (in-
„ quit Lieuthaudus) ſub caſu urgentiori pulvis ipſarum-
„ met cantharidum à grani quarta parte ad granum unum,
„ vel alterum, quo ſi nihil obſtet, copioſa urina projici-
„ tur: conſtat enim plures ab orco revocaſſe hoc reme-
„ dium à circumforaneo quodam venditatum: ideò nemi-
„ nem eſſe reor, qui imminente interitu, omnibuſque fruſ-
„ tra tentatis, illud experiri recuſet (a). Hoc remedii genus Hippocrates in hydrope praeſcripſit, eumque graviſsimi auctores poſtmodum ſequuti (b). Sed, maxima hic cautela opus eſſe, non dubitamus, quippe, urinae vias inflammando, irritat, ut potius urinas retinere quàm movere viderimus. Quod ſi, ex tantorum auctorum fide, in aliquo caſu cantha-

ri-

(a) Lieuth. *Synop. univerſ. prax. lib.* 1. *ſec.* 1. *pag.* 97.

(b) Vide Sennert. *Pract. lib.* 3. *part.* 6. *ſec.* 2. *cap.* 3. *pag.* 558.

rides propinandas tirones cenſeant, modum eas praeparandi, & cautelas ex noſtra materia medica deducere poſſunt. Id non omittendum, prius eſſe alvum purgandam, quam urinas movendas. De vomitoriis idem dicendum, quod de purgantibus, cùm enim hydrops incipit, nec viſcera corrupta, aut ſcirro obſeſſa, tutò praeſcribi poſſunt, &, pro re nata, repeti in illis, qui faciles ſunt ad vomendum. Ipecacuana, tartarus emeticus, aqua benedicta Rulandi, pro eo uſu ſufficere poſſunt. Pro intentione roborandi conferunt amara, ut abſinthium, centaurum, gentiana, &c.: carminantia ſeu flatus diſcutientia, ut aniſi & feniculi ſemina, flores camaemeli, cedoaria, & aromatica omnia: martialia. Haec aliaque benè multa, in libris paſsim proſtantia, ſeu ſimplicia, ſeu aliis mixta, in formam ſyrupi, electuarii, pulveris, redacta, praeſcribi ſolent. Sed hydropicorum calor internus haec & ſimilia medicamenta fermè non tolerat: cumque flatuum proventus non niſi nimio calore fiat (a), contra quam communis ſcholarum opinio fert, propterea, à nimio horum medicamentorum uſu abſtinendum, cenſemus. Dolentes fateri cogimur, hactenus non dari medicamentum vi propria hydropi oppoſitum, nec flatibus adverſum, quae enim à celebrioribus practicis traduntur, generalia ſunt, neque diatheſim ſpecialem in iis affectionibus obviam, vi directa corrigunt, indeque fit, ut haec mala hucuſque ab arte quantumvis perita vinci non potuerint. Habent hic tirones, quae à Medicis pro curando hydrope traduntur, ac liberè, quae pluſquam triginta annorum uſu obſervavi, in medium adduxi. Id certus affirmo, curationem quamcumque per remedia quantumvis celebrata, in hydrope inveterato ex ſcirro, aut obſtructionibus partium ventris, multum infirmis viſceribus, mortem accelerare. Contra viſum eſt, hydropicos bono regimine tractatos ſine medicamentis, per menſes & annos, praeter omnium ſpem, vitam protraxiſſe. Nihil ergo his aegrotis magis confert, quam bona

(a) *Vide Patholog. noſtr. tract.* 3. *rop.* 15. *num.* 68. *pag.* 543. & *Illuſtr. in Hipp. Prognoſt. ſec.* 2. *text.* 24.

na diaeta. Debent ergo moderata & boni ſucci alimenta ſumere, exſiccantia, benè nutrientia, & humiditates diſſipantia: atque quivis labor erit inutilis, niſi detur integra abſtinentia ab omni potu, haec enim ſola plures hydropicos liberavit, omniaque praeſcripta medicamina longè antecellit. Quàm difficile ſit, ſitientes nimium aegros ab omni potu abſtinere, quivis agnoſcit, indeque etiam deducitur, quàm arduum opus ſit, hydropem tollere, cùm, unicum fermè praeſidium, fieri vix poteſt, ut in uſum ducatur. „ Non „ ignobilis Medicus Chryſippi diſcipulus (inquit Celſus) apud „ Antigonum Regem, amicum quemdam ejus notae in„ temperantiae, mediocriter eo morbo implicitum, negavit „ poſſe ſanari. Cumque alter Medicus Epirotes Philippus ſe „ ſanaturum polliceretur, reſpondit, illum ad morbum „ aegri reſpicere: ſe ad animum. Neque eum res fefellit: ille „ enim cum ſumma diligentia non Medici tantummodò „ ſed etiam Regis cuſtodiretur, tamen malagmata ſua de„ vorando, bibendoque ſuam urinam, in exitium ſeſe prae„ cipitavit (a). Pro coronide admonere reſtat, ab antiquiſsimis uſque temporibus uſitatam eſſe, ad aſcitim tollendam, abdominis apertionem (Paracenteſim Graeci vocant) infra umbilicum, ut aquae ibi contentae educantur. Inter Graecos exagitatum eſt, num paracenteſis aliquando exercenda, an prorſus ableganda? Ex utraque enim parte adfuere patroni, eorumque rationes & argumenta, lectu quidem digna, Celius Aurelianus, qui eam defendit, longè proponit (b). Modum abdomen aperiendi deſcripſere veteres quamplures, & Neoterici novis inventis illuſtrarunt. Sufficiet hac de re tironibus, Heiſteri chyrurgiam, & Vanſwietenii commentaria percurrere, nihil enim de paracenteſi intactum relinquunt. Cùm tamen innumeris obſervationibus conſtiterit, eductis aquis per chyrurgicam operationem, aegros quoſdam ſubitò obiiſſe, alios novam aquarum collectionem expertos, ac, ſi non omnes, per paucos tamen eſſe, qui ea

(a) Celſ. *de Medic. lib.* 3. *cap.* 21. *pag.* 161.

(b) Cel. Aurel. *Morb. chr. lib.* 3. *cap.* 8. *pag.* 478.

peracta, & ſaepius ex neceſsitate repetita, tum demùm non perierint : hinc cautiones & monita à practicis ſtatuta ſunt, ut iis obſervatis, paracenteſis, ſi aegrum parùm aut nihil juvaret, ſaltim non laederet. „ Ac ne illud quidem (inquit „ Celſus paracenteſim approbans) in controverſiam venit, „ quin non omnes in hoc morbo ſic curari poſsint ; ſed „ juvenes robuſti, qui vel ex toto carent febre, vel certè „ ſatis liberales intermiſsiones habent. Nam quorum ſto„ machus (idem intellige de caeteris viſceribus) corruptus „ eſt, quive ex atra bile huc deciderunt, quique malum „ corporis habitum habent, idonei huic curationi non „ ſunt (a).

APHORISMI.

I.

Qui lienoſi à dyſenteria corripiuntur, his, longa ſuperveniente dyſenteria, hydrops ſupervenit, aut inteſtinorum laevitas, & pereunt (b).

II.

Ex ſanguinis eruptionibus aquaintercutem corripiuntur (c).

III.

Haemorroidas curanti diuturnas niſi una ſervata fuerit, periculum eſt, ne hydrops ſuperveniat, aut tabes (d).

In quavis ſanguinis excretione, ſi nimium ipſe fluat, hydrops ſupervenire ſolet. Sed multò certius hic morbus accedit, cùm ſubitò fluens ſanguis medicamentis ſupprimitur. Docemur itaque, magna praecautione procedendum in ſanguinis fluore tractando, atque opera praecipuè danda eſt, ut reficientibus & roborantibus auxiliis natura conſervetur, uſque quo ex ſe ipſa ſanguinis fluxum contineat.

(a) Celſ. *de Med. lib. 3. cap. 21. p. 166.*
(b) Hipp. *lib. 6. Aphor. ſent. 43.*
(c) Hipp. *lib. 6. Epid. ſec. 4. verſ. 29.*
(d) Hipp. *lib. 6. Aphor. ſent. 12.*

IV.

Leucophlegmatiae hydrops ſupervenit (a).

Leucophlegmatia correpti interdum intra morborum acutorum terminos ſalvi fiunt, aut intereunt. Sed cum diutius trahunt, aut ſuffocantur, aut in immedicabilem aſcitem tranſeunt. Curandum ergo, ut aegri parùm bibant, & ea aſſumant medicamenta, quae habitum corporis exſiccare, & ventrem roborare citra caliditatem valeant. Quae hepatica dicuntur & lieni opportuna, hic locum habent. Syrupum ſub eo caſu conficere ſoleo ex ſuccis fumariae, borraginis, becabungae, qui ex pauca aqua dilutus, ad dito pauxillo tartari vitriolati, opem aliquando praeſtat.

V.

Aquaintercutem, quae ex acutis morbis oritur, mala. Nam neque febre liberat, vehementeſque dolores excitat, & lethalis eſt (b).

Hanc ſententiam explicavimus in Illuſtrationibus ad Hippocratis Prognoſtica. Nihil hic ulterius adducimus, ne crambem recoquere videamur.

VI.

Quibus termina, & circa umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque purgante neque aliter ſolvitur, in hydropem ſiccum firmatur (c).

Ex colicis iliacis doloribus, dum etiam ad lumbos extenduntur, neque tamen, cum diu durant, debita curatione ſolvuntur, timor eſt, ne hydrops ſiccus ſuperveniat. Idem intellige de cardialgia, & aliis ventris doloribus iis caracteribus comitatis, hydrops enim eorum terminus eſſe ſolet. Qui differat hydrops ſiccus ab altero, ex Hippocratis mente in Illuſtrationibus ad ejus Prognoſtica explicavimus (d).

(a) Hipp. *lib.* 7. *Aphor. ſent.* 74.
(b) Hipp. *lib. Prog. ſec.* 2. *text.* 1. *Vide Illuſtr. noſtr. ad hunc loc.*
(c) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. ſent.* 11.
(d) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Prog. ſec.* 2. *text.* 1. *pag.* 80.

Balnea, ſemicupia, oleoſa, emollientia hoc malum avertere poſſunt. Decoctum radicum altheae in hoc caſu utile eſſe conſuevit.

VII.

Ab hydrope detento ſi aqua ſecundum venas in alvum fluxerit, ſolutio fit (a).

VIII.

Si à leucophlegmatia detento vehemens diarrhoea ſuperveniat, morbum ſolvit (b).

IX.

Aquaintercutem initio aquoſum alvi profluvium abſque crudita-te exortum morbum ſolvit. (c).

Harum ſententiarum primam de leucophlegmatia intelligendam eſſe, cenſent nonnulli: ſed etiam in aſcite veram eſſe, rectè monet Tozzius, ea ſemper lege, ut incipiente morbo id fiat, ſecus autem mortem accelerare ſolet. Diſputant curioſi, quibus viis humorum fluxus fieri poſsit ex corporis habitu in ventrem in leucophlegmatia: aut ex partibus abdominis continentibus, ubi haeret aqua (in hac enim aſcitis ſpecie vera eſſe poteſt ſententia) in inteſtina, ut inde extra corpus fluat? Nos eas planè neſcire fatemur, ſcit autem natura ipſa: „ Quae ſagax & perita ſcit mille „ ſibi parare vias per quas ſe ipſam exoneret (d).

X.

Quibus hepar aqua repletum ad omentum eruperit, his venter aqua impletur, & moriuntur (e).

Haec ſententia ex libro de internis affectionibus deducta videtur, ibi enim hydrops ita genitus longius explanatur (f). Solet interdum hepar poſt acutos morbos, praeſer-

---

(a) Hipp. *lib. 6. Aphor. ſent.* 14.
(b) Hipp. *lib.7. Aphor. ſent.29.*
(c) Hipp. *in Coac. Duret. lib.2.*
(d) Tozzi *Com. in lib.7.Aphor. Hipp. ſent.55. pag.235.*
(e) Hipp. *lib.7. Aphor. ſent.55.*
(f) Hipp. *de Intern. affect. text.26. Marinel.*

ſertim febres ardentes, phlogoſi lenta & ſiccitate vexari. Corrupto ejus humore nativo, trahit ob calorem ad ſe humiditates, & ob corruptionem acres reddit. Inde fit, ut aqua putri repletus ſenſim intumeſcat, quam ſi per omentum in ventrem emittat, hydrops lethalis ſequitur. Cognoſcitur hoc hepatis malum ex dolore, aut moleſtia durabili circa hypocondrium dextrum, quod durum etiam eſt, ac intumeſcit, dum ſuperiores partes verſus claviculas attenuantur. Sub hoc caſu, antequam hydrops accedat, confert lac aſininum, ſin minus, ejus ſerum herbis temperantibus, hepaticis, aperientibus alteratum. Prodeſt etiam à vino abſtinere, aut illud ſummè dilutum bibere, interimque laudabilem diaetam ex alimentis boni ſucci praeſcribere cum abſtinentia potus, non quidem omnimoda, ſed ita ut multò minus ſolito bibat. At quibus viis aqueae humiditates ex repleto jecore in omentum ducantur, inquirunt qui res imperſcrutabiles, etſi ad praxim parùm conducentes, intelligere gloriantur. Num per foramen, quod propè jecur in omento detexit Winslows, recipiuntur aquae? (a). In medio relinquimus.

XI.

Hydropicis ulcera in corpore orta non facilè ſanantur (b).

Veriſsima ſententia, qua docemur, non facilè cauteria, veſicantia, aliaſque exulcerationis formas in hydropicis eſſe excitandas: „ Communis enim omnium eſt humoris nimia „ abundantia, ob quam ne ulcera quidem in his aegris „ facilè ſaneſcunt (c). „ Perperam ea propter agunt (inquit „ Tozzius) qui ſibi tibias cauteriis inuri permittunt ſperan„ tes exinde, omnem ſeroſae ſuperfluitatis malitiam iri eva„ cuatum; nam praeterquamquod nihil peccantis humoris, „ ſed ſolius particularis laticis, aut alibilis ſucci portio inde „ deduci ſolet, etiam imminenti vitae periculo ſe ſubji„ ciunt à gangrena mox ſucceſura, ut in pleriſque obſer-

„ va-

(a) *Vide Phyſiol. noſtr. tract. 2. prop. 6. num. 36. pag. 59.*

(b) Hipp. *lib. 6. Aphor. ſent. 8.*

(c) Celſ. *de Medic. lib. 3. cap. 21. pag. 161.*

„ vatur. Qui verò referuntur hydropici ab erumpentibus „ ſpontè veſiculis, atque ex affluente ab illis ſero aliquan- „ tulum levati, adhuc etiam poſtea periere, ſuperſtite ni- „ mirùm ſemper cauſa hydropiſim faciente (a).

XII.

Si cauſa hydropis aſcitis eſt recens, extrinſecùs citò applicata: ſi vires integrae, corpus juvenile: ſi viſcera benè conſtituta, neque alio morbo perdita: ſi aqua nondum putrida neque diu in loco ſtagnaverit: ſtatim inſtituenda paracenteſis (b).

Veriſsimum quidem dogma, omniumque Medicorum mentibus altè infigendum: his enim omnibus penè penſitatis tutò paracenteſis inſtitui poteſt, atque ita diſcent Medici hodiernae chirurgiae manus fugere, in operationibus ut ajunt, efficiendis fortè audaciores. Vanſwietenius paracenteſi nimium favens non omninò videtur in Magiſtri partes tranſire, dum ſic loquitur: „ Si omnia adſint quae hic „ enumerantur, omne proculdubio abeſt diſcrimen; ſed ra- „ rò contingit, ut hydrops naſcatur in corpore juvenili, ro- „ buſto, abſque ulla viſcerum labe, abſque morbo prae- „ greſſo: imò vix umquam, niſi à cauſa externa ſubitò ap- „ plicata morbus ortum duxerit. Adeoque rara foret occa- „ ſio, in qua paracenteſi locus daretur (c). Fatetur nihilominus celebris iſte ſcriptor, poſt eductas aquas ex paracenteſi recidivas fieri, quod omnium fermè practicorum conſenſu confirmatur.

XIII.

Qui ſappurati, aut hydropici uruntur, aut ſecantur, hi purè, aut aqua acervatim effluente omninò moriuntur (d).

Accurata in obſervando diligentia didicerunt Veteres medicinae Inſtitutores, hydropicorum aquam aperto abdomine

---

(a) Tozzi *Com. in lib. 6. Aphor. Hipp. ſent. 8. pag. 130.*

(b) Boher. *Aphor. de cognoſc. & cur. morb. §. 1239.*

(c) Vanſwiet. *Com. in Aphor. citat. Boher. pag. 233.*

(d) Hipp. *lib. 6. Aphor. ent. 27.*

ne non una vice esse extrahendam, ita enim facilè aegri ex syncope moriuntur. Paracentesim ipsam, natura duce, medicinae esse coaevam, ex historia artis noscimus, atque non una vice extrahendas aquas, nec in pueris, senibus, nimium debilitatis eam esse peragendam, veterum fermè omnium consensu confirmatur. Paracentesis descriptionem proponit Hippocrates, Caelius Aurelianus, & ex Arabibus Albucasis ita accuratè: „Ut quo vel tutius vel com„modius praestetur, nihil ferè recentiores adjecerint (a). Nostris temporibus unica vice sine metu ullo syncopis aquas hydropicorum educunt quamplures (b), atque in eorum partes transit Vanswietenius, aquis enim extractis, cingulo, aut fascia abdomen comprimunt, quo facto multa aegrorum taedia vitantur (c). Haec praxis, fateor, Londini, Parisiis, Vindobonae in Nosocomiis maximè viget, neque eam omninò improbandam censemus, utpotè à viris gravissimis approbatam. Sed tutiorem in Medicina viam esse sequendam, alibi monstravimus: nec satis certi sumus, an recentiorum observationes veterum placitis in hac re praeferendae sint. Ergo, donec per ulterius repetita experimenta constet, nullo discrimine aquas hydropicorum simul & semel tutò educi posse, veterum vestigia tironibus premenda censemus. Id mireris, quòd cùm aquas una vice tutò extrahi asserant homines isti, nihilominus, qui fiat, ut aegri moriantur ex subita aquarum eductione? non seriò tantùm, sed longè disputant. Et, Deus bone! quot quantaque ratiocinia systematica pro ea re explicanda adducunt (d), cum neque inter se conveniant, sed alter alterum planè rejiciat. Nos profectò, his omnibus relictis, cùm videamus plurimùm atque repente evacuare, aut alio quovis modo corpus movere, esse naturae inimicum, ac, deficiente rerum coalitu, compagem corporis dissolvi, indeque syncopem

(a) Freind *Hist. Medic. in Albuc. pag.*265.
(b) Vide Freind *loco citato.*
(c) Vanswiet. *Com. in Aphor. Boher.* §.1240.
(d) Vide Freind *Hist. Medic. in Albuc. pag.*266. *seq.* & Vanswiet. *Com. in Aphor. Boher.* §.1240. *pag.*239.

pem ſupervenire (a), ex eductis una vice hydropicorum aquis mortem ſubitam interdum ſequutam eſſe, his de cauſis cenſemus.

XIV.

Anaſarca venae ſectionem interdum requirit... hydropem igitur anaſarca & vena ſecta, interdum & purgatione curare oportet... Sic vacuatio tentanda eſt, & adeo ſenſim ut natura, quae à copia gravatur, reſpiret... Quare magnam & accuratam obſervationem habere convenit, atque ita ſanguinem hydropicis juvandi gratia detrahere audendum: etenim intempeſtiva ſanguinis miſsio in aliis quoque periculum inducit, in hydropico autem interdum etiam mortem (b).

„ Vidimus (inquit Deſauvages loquens de aſcite) hy„ dropem curatum viginti venae ſectionibus, qui ab exhi„ bitis hydragogis & diureticis cujuſvis generis magis ac „ magis intumuerat (c). Trallianus in aſcite venae ſectionem dehortatur: in anaſarca commendat ſub cautionibus in aphoriſmo propoſitis, quibus addit aetatem vigentem, & tempus non admodum frigidum. Hinc nullo modo aeſtimandam, quin potius nullius pretii habendam cenſeo obſervationem Deſauvages: temerarium enim eſt viginti venae ſectionibus hydropem aſcitim curare velle. Cautè ergo tirones, quae in auctoribus hujuſmodi legunt, excerpant, cùm plura nimis confidenter pronuntiata, aliaque nimium feſtinanter ſcripta, facilè in errorem inducere poſsint.

XV.

Haud ſecùs hallucinari conſueverunt in ea quoque aquae intercutem ſpecie, quae ad acutos morbos ſequitur: quippe ab iis jecur calida & ſaepenumero ſicca quoque intemperie tam gravi-

---

(a) *Vide Pathol. noſtr. tract. 3. prop. 14. num. 65. pag. 536. & Phyſiol. tract. 2. prop. 12. num. 66. pag. 110.*

(b) Tral. *lib. 9. cap. 2. pag. 416.*

(c) Deſauvag. *Noſolog. Method. claſ. 10. §. XII. num. 13. pag. 340.*

viter afficitur, ut cibum in ſanguinem tranſmutare nequeat (a).

Cùm hypocondria, non hepar modò, ſed & lien, imò & reliqua viſcera abdominalia, acuta, aut etiam diuturna phlogoſi tentantur, ſi ad multam debilitatem devenerint, alimento rarefacto, & in aqueam humiditatem converſo, hydropem facilè accerſunt. Sub eo caſu calida medicamenta, diuretica, carminantia, aperientia prorſus fugienda, eorumque loco modicè refrigerantia reſtaurantibus mixta opem ferunt. Heredia noſter ſatis aptè monſtravit, qua ratione contingat hydrops ex jecore calido, neque ſpernendam curationem hujus mali propoſuit (b). Hoc mali genus aſcitem multo flatu turgentem, ſeu, ut vocant, tympanitidem prae caeteris aliis inducit, quae numquam calidis medicamentis tractari permittit. „ Nonnulli (inquit Lieuthau- „ dus) nivem vel glaciem contuſam imo ventri imponunt; „ ſed cum hocce topico cautè mercari expedit: quod ta- „ men haud infelici ſucceſſu, me detrectante, ſuaſit circumfo- „ raneus quidam (c). Memini, me hydropicum ventris tumorem, in ſcorbuticis nullo negotio accedentem, diluentibus, modicè laxantibus, temperatis aperientibus, juſculis etiam ex antiſcorbuticis vegetabilibus paratis, ſanatum vidiſſe, aſcitis enim ſcorbuticorum, minùs quàm caeterae, periculoſa eſt. Secus autem accidiſſe vidi in aſcite ex repetitis phlebotomiis, haemorroidibus immodicis, aut ex profuſis quibuſvis haemorragiis orta, ſub quo caſu, etſi calida non juvent, frigida tamen medicamina certò nocent. „ In hoc „ autem caſu (inquit Deſauvages) aliquoties expertus ſum, „ Tralliani ſuaſu, lacteam diaetam eſſe praeſtantiſsimum au- „ xilium, quo non ſolùm aegri vires reparantur, hemor- „ ragiae praevertuntur, verùm etiam aſcites radicitùs ſana- „ tur (d). Vellem utique, ut ſcriptor hic indicaret, ubinam

(a) Gal. *de Locis affec. lib. 6. cap. 1.*
(b) Hered. *de Morb. acut. ſec. 7. diſp. unic. cap. 4. pag. 168. ſeq.*
(c) Lieuth. *Synop. univerſ. prax. ſec. 4. pag. 240.*
(d) Deſauvag. *Noſolog. Method. claſ. 10. §. XII. num. 7. pag. 335.*

Trallianus lacteam diaetam pro aſcite conſulat ; nam etſi Graecus iſte in hydrope cum febre refrigerantia praeſcribat, nullam de lacte mentionem feciſſe video , cùm remedium hoc febricitantibus , & longo ſanguinis fluxu vexatis ex Hippocratis praeſcripto noxium eſſe ſoleat (a). Non ergo facilè tirones hujus , aliorumque hujuſmodi ſcriptorum dictatis ſeſe abduci patiantur.

CAPUT XVI.

DE MORBIS RENUM , ET VESICAE.

UT renes & veſica in officio conveniunt , ſic eiſdem fermè morbis conflictantur. Inflammatio , dolor , calculus , mictio cruenta , urinae profluvium, ejuſdemque retentio , ſtranguria , dyſuria , morboſae affectiones ſunt renibus & veſicae communes , ut in iis omnibus utraque pars laeſa ſit , ita tamen , ut modò malum à renibus in veſicam, modò ex hac ad renes communicetur , quod tirones ex paſsionis ſitu , actionibus laeſis , & phoenomenis comitantibus haud difficulter cognoſcent. Inter recenſita mala inflammatio morbus eſt in temperie , organo , & non rarò etiam unitate vitiatis conſiſtens , ut de aliis inflammationibus ſaepè diximus. Caetera inflammationis ſunt ſymptomata , pars ad actiones laeſas , pars ad excrementorum vitia reducenda. Ergo ipſe rerum ordo poſtulat , ut prius renum & veſicae inflammationem , deinde ſymptomata ab ea manantia conſideremus. Etſi nephritis generali notione quamvis renum affectionem apud veteres Graecos ſignificet (b) , hodierno tamen uſu eorum inflammationem calore & dolore conjunctam ſignificat. Veſicae inflammationi nullum , quod ſciam , inditum eſt peculiare nomen. Non omnis harum partium inflammatio acuta eſt , neque phlegmonoſa , hoc eſt , tumore praeternaturali conſtituta , nam ſaepe merè phlogiſ-

(a) Hipp. *lib. 5. Aphor. ſent. 64.*
(b) Vide Foeſium , *verb.* Νεφριτις, *pag.* 430. & Gorr. *eod. verb. pag.* 426.

giſtica, hoc eſt, lenta phlogoſi diu moleſtat, quod benè notandum ad curationem.

Occaſionales cauſae omnium inflammationum maximum hic locum habent. Plethora ex ſuppreſsis haemorroidibus, aut quibuſvis aliis ſanguinis excretionibus, vel diverſis modis nata, ſi in renibus ſedem figit, eos inflammat. Obſtructio perpetuò adeſt in hoc morbo, nam ſeu ſanguis, ſeu lotium eas partes obſtruant, calefieri ac inflammatione tentari, neceſſe eſt. Omnium maximè diatheſis huic malo producendo conducit, certo enim modo corrupta atque vitiata renum & veſicae temperie, certum etiam atque determinatum inflammationis genus ſuccedit. At cùm ex varia diatheſi diverſi laeſionum modi contingant, ut in Pathologia monſtravimus, indè fit, ut quamquam renum & veſicae inflammatio morbus ſit praedictorum malorum generator, non omnia aequè ſymptomata ex ea oriantur. Sic quoſdam ex inflammatis his partibus mictio cruenta, alios calculi, aliquos etiam urinae retentio, & ſic de reliquis, moleſtare ſolent. Specialis ad haec ſymptomata producenda diatheſis interdum ex principiis generationis, non rarò ex alimentorum, potuum, & veneris uſu, ſaepe autem ex interna humorum vitiatorum corruptela ortum habet. Qui atra bile in viſceribus abdominalibus vexantur, ad renum & veſicae inflammationes paratiſsimi ſunt, ſicut etiam illi, qui hypocondria nimis calida habent, cruditates generant, & ſpinalis medullae fluxiones, acres quidem & dolentes, patiuntur. Dum ergo quis mictione cruenta, calculis, iſchuria, ſtrangutia, doloribus, urinae profluvio affligitur, inflammationem renum, aut veſicae ſubeſſe, tenendum, atque ante omnia inſpicere oportet, an in renibus aut in veſica primaria, & praecipua mali labes ſedem habeat: deinde omni opera inveſtigandum, quaenam diatheſis ſpecies plethoram & obſtructionem renum comitetur, niſi enim haec ſedulò perpendantur, difficile admodum erit primario morbo, memoratorum ſymptomatum radici, occurrere. Aër valida & efficiens cauſa eſt harum affectionum, alterationes enim, quas patitur ſub diverſis anni temporibus & annorum conſtitutionibus, renum, & veſicae malis inducendis plurimùm

mùm conferunt, ut apud epidemicarum conſtitutionum obſervatores abundè conſtat (a). Diaetam his morbis favere tam certum eſt, ut vel medicinam non profitentibus palam fiat. Aquas calculis, aliiſque renum & veſicae morbis generandis aptas monſtravit Hippocrares (b). Alimenta etiam pro varietate ſuccorum & indole haec mala producere, omninò compertum eſt: quae enim craſſos, calidos, viſcidos, acres humores ad renes & veſicam confluere faciunt, eaſdem partes inflammando, urendo, replendo, & irritando vehementer diſtemperant. Statarias artes mala renum & veſicae inferre, auctor eſt Ramazzinus; ſed ob eam cauſam ſervos in aulis Principum, praeſertim ubi nulla ſunt ſedilia, renum morbis vexari, ut idem auctor aſſerit, in medio relinquimus (c). At animi pathemata, ut caeteros quoſcumque morbos, ſic renum & veſicae vitia ſaepe producere, cuivis vel in praxi mediocriter exercitato notiſsimum eſt.

Cùm inflammatio non plethora ſolùm & obſtructione, ſed varia etiam, at determinata diatheſi, conjuncta, praedictorum malorum renes & veſicam occupantium mater ſit, neque talis inflammatio ſemper, quin potius rarò acuta ſit, operae pretium eſt, harum partium inflammationis lentae phoenomena percurrere, ut praecautioni & curationi ſit locus, atque ita vitetur morbi acuties; ita enim id mali genus comparatum eſt, ut lenta phlogoſis acuta fiat ſumma aegrotantis pernicie. Igitur renum calor immodicus, atque phlogiſtica eorum diſpoſitio eos maxime vexare ſolet, qui litteris & otio incumbunt: baccho etiam & veneri deditos: melancholicos & arthriticos, haemorroidum paſsionibus afflictos; hypocondriorum aliarumque partium ventris inflammatione prehenſos: & quibus atra bilis inteſtina, meſenterium, uterum vicinaſque partes occupat: eos denique qui haereditaria diſpoſitione labem mali à parentibus ſuſcepere. Utique non omittendum, non renes modò, veſicam, caete-

(a) Vide Ballon. *Epid. lib. 2. pag. 161. & Medic. Vratisl. anno 1699. pag. 117.*

(b) Hipp. *de Aëre, aq. & locis, com. 3. text. 36. pag. 279. ex edit. Septal. anno 1645.*

(c) Rammazz. *de Morb. artific. cap. 29. pag. 81.*

teraſque partes urinae excretioni ſervientes, hoc inflammationis genere laborare, ſed etiam muſculos, praeſertim quem Graeci *pſoas* vocant, ductis in conſortium nervis, unde fit, ut interdum malum renibus incipiens in alias diffundatur partes, & contra. Utut ſit, duo phoenomena renum inflammationem perpetuò comitantur. Primum, dolor gravis, aut ſaltem ſenſus moleſtiae ad lumbos parteſque vicinas. Alterum, laeſa naturae functio in urina expellenda: quae ſi conjungantur, certiſsimum dant inflammatorum renum inditium. Quod ſi dolor graviſque moleſtia, laeſioque in ejicienda urina, circa pectinem in infima ventris regione diu haereant, malum inde veſicam occupare cognoſcimus. Sed dolor hic dum renes occupat, ad ſupernas partes aliquando aſcendens, infernas coſtas in thorace moleſtat, ut falſam pleuritidis ſpeciem mentiatur. Neque continuò affligit, ſed per intervalla: atque ſternutamentis & tuſsi intenditur. Nec rarum eſt ad femora extendi, eademque demùm veluti ſtupore prehendi. Febris univerſi corporis non ſemper adeſt; at pars affecta calet & incenditur, ut febre ſaltem partis laborare dicas. Accedunt nauſea, ſtomachi anxietas, cibi faſtidium, crebra bilis vomitio. Saepiſsimè extremae partes, maximèque pedes refrigeſcunt. Quae omnia interdum mitia, ut aegrum lecto non perpetuò affigant, quandoque increſcunt maximèque moleſtant. Dum malum iſtud nimium augetur ut curſu temporis, niſi curetur, fieri ſolet, mictus cruentus, calculi, urinae difficultates, omniaque circa lotium expellendum incommoda accedunt, alia tamen aliis, pro cauſarum occaſionalium & efficientium, naturae & temperamenti diverſitate. Sed ſi febris ſuperveniat acuta, dolor nimium vigeat, anxietas, urinae ardor, & difficilis, aut omninò impeditus, exitus, inflammationem acutam & celerem inde ſignificari palam eſt. Harum partium inflammatio, quaecumque demum illa fuerit, periculoſa: ſi enim acuta ſit, urinae ſuppreſsione, aut virium extinctione paucis diebus enecat. Quod ſi lenta fuerit, etſi imminens non ſit diſcrimen, tamen longo poſt tempore urinae mala inſanabilia poſt ſe trahit. Jàm verò cùm calculus, mictio cruenta, urinae profluvium, aut ſuppreſsio, itemque ſtranguria, quam-

quam

quam ſymptomata praegreſſae inflammationis ſint, ita aliquando increſcant, ut morbi rationem habeant, & Medici conſiderationem ad ſe alliciant, non incongruum arbitror, phoenomena eorum praeſentiam demonſtrantia ſeorſim tradere. Igitur cùm calculus renibus ſubeſt, praeter jam dicta inflammationis ſigna, doloremque acerbiſsimum inſtar infixi aculei ad lumbos, urina antecedit tenuis, limpida, diluta, quam mox excipit craſſa, ſabulis ſeu arenulis multis repleta, qua praeſente ſub his notis de calculo ſuſpicandum eſt: nec enim facilè datur ſignum hujus mali prorſus demonſtrativum, niſi cum lapilli ipſi cum lotio expelluntur. Idem judicium eſto de veſicae lapide, niſi enim grandior fuerit, ſignis omninò certis ſeſe non monſtrat. Conjecturam tamen de ejus praeſentia faciunt teneſmus in ſingulos mingendi conatus: ponderis ſenſus in perinaeo: crebra genitalium titillatio vel pruritus, ad quem compeſcendum manum, geſtu ſanè indecoro, ſaepius admovere cogitur uterque ſexus, quod praeſertim adnotatur in infantibus, qui penem ſaepiſsimè contrectant & diſtrahunt, ut urinae exitui faveant, vel dolores leniant. Interea proſiliens urina ſaepius ſiſtitur, vel per vices alternatimque inter tormina mingitur. Quod ſi ſub his ſignis veſicae calculus digito in anum immiſſo exploretur, vel cathetere in veſicam adacto attingatur, certius inde judicium deducitur. Neque inficiandum, haec opera chyrurgica interdum fefelliſſe; atque adeo etſi ad cognoſcendum hunc morbum multum conferant, nec prorſus iis eſſe fidendum, cenſemus. Ad mictum cruentum dignoſcendum nullo alio opus eſt auxilio quam urinae inſpectione, ipſa enim ſanguinea eſt. Id unicè notandum, diverſa eſſe ſanguinem mingere, & urinam ejicere ſanguineam. Dum ſanguis mingitur, ſi urina aliquo tempore ſervetur, ſanguinem in fundo vaſis deponit; dum verò ſanguineum liquidum mingitur, etſi urina per longum tempus adſervetur, nihil ad fundum projicit, quinimo totus urinae liquor ſanguineus permanet. Nimius urinae fluxus duobus modis fit. Primum cùm urina multa copia effunditur, actio tamen mejendi ad nutum dirigitur. Alter modus eſt, cùm urina clanculum & abſque voluntatis imperio nimium fluit. Illud mali genus

dia-

diabetes: hoc *urinae incontinentia* appellatur. Ergo in diabete potio, non multo poſt quam ſumpta eſt, nihil ferè demutata immodicè ſub aquae ſpecie cruda mejitur. Ingens ſitis continuò afficit, quae potatione ſedari nulla poteſt, atque quod bibitur, ſaepe majore copia mejendo redditur, quàm qua ſumptum fluit. Interea totum corpus eo modo conſumitur ac veluti mejendo diſſolvitur: febris lenta emergit: ſaliva ſpumoſa excernitur: alvus pigrior evadit: viſcera aeſtuant: lumbi dolent: vires proſternuntur: ac niſi recens curetur, vitam marcore conſumit. At incontinentia urinae, pueris & ſenibus magis quàm caeteris aetatibus familiaris, nec febre nec dolore ſtipata, moleſtum & turpe malum eſt, etenim volentes nolentes urinam fermè continuò effundunt, & ſtragulas noctu dieque permingunt. Supereſt, ut frequentiſsimas affectiones dyſuriam, ſtranguriam, & iſchuriam explicemus. *Dyſuria* generale nomen eſt quamvis urinae difficultatem ſignificans. Cum verò ex inflammatione, indeque natis calculo, grumo ſanguinis, veſicae imbecillitate, aliiſque id genus malis, liberam urinae expulſionem impedientibus, difficultas in excernendo lotio ſequi ſoleat, dyſuriae nomine, quaecumque illa fuerit, ſeu dolor adſit ſeu deficiat, ex veterum Graecorum mente ſignificatur. *Stranguria* eſt mictio guttatim procedens. Dum enim ſeu calore & acrimonia ipſius urinae, ſeu viarum impedimento urina guttatim fluit, nec niſi cum dolore & moleſtia ſenſim ejicitur, ſtranguriae nomine id malum indigitatur. Nihil praeterea neceſſe eſt, ut quivis in obſervando attentus dyſuriam & ſtranguriam cognoſcat. At *iſchuria*, quae urinae ſuppreſsionem apud poſteriores Graecos ſignificat, ulteriorem poſtulat explicationem. Igitur urina frequenter ob veſicae vitium ſupprimitur, ut malum id magis ad veſicam pertineat: interdum tamen conſentiunt etiam renes, ut malum ab ipſis incipiens veſicae communicetur. Difficile autem eſt, integram urinae ſuppreſsionem ex ſolis renibus, veſica illaeſa, fieri poſſe, alibi enim monſtravimus, urinam non totam per renes, ſed partim ex ventriculo & inteſtinis in veſicam cumulari: unde etſi renes in officio omninò ferientur, ſi tamen veſica integra ſit, aliquid urinae in ea colligetur. Utcumque tamen

ſup-

ſuppreſsio fiat, modò repente omninò ſiſtitur, modo non ex toto fit, ſed ſtillatim quidem mejunt, multumque fundere cupiunt, atque ita per gradus ad integram veniunt ſuppreſsionem. Sed urinae intercluſio, quovis modo facta, omnia ſaeva & acerba reddit, etenim febrem accendit, & inquietudinem, dolorem gravem ſecundum lumbos, aut circa pectinem cum partium diſtentione inducit. Cum lotium ob moram acre mordaxque eſt, frigent aegri, tremunt, convelluntur, diſtenduntur praecordia, & replentur. Pulſus ſub initiis tardi ſunt, ſegnes: ſed dum malum increſcit, parvi fiunt, celeres, inordinati. Somni tenues, moleſti, non continui, quin potius à ſomno, perinde ac ſi quis pupugerit, proſiliunt, poſtea in ſoporem tamquam laſsitudine oppreſsi delabuntur. His laboribus delirium leve accedit, ut nugari potius, quàm verè delirare videantur. Quod ſi mejendi aviditas inſtet, multiſque doloribus & diſtentionibus modicum quiddam ſtillatim ejiciunt, tunc primùm cruciatibus parùm levantur, poſtmodum in eadem relabuntur. Interea facies livet: abdomen intumeſcit: veſica, ſi malum in ea ſit, turget atque dolet, multumque urinae, intromiſſo ferro, prorumpit. Contra, cùm malum in renibus praecipuè haeret, veſica parùm dolet, vel tumet, paucum etiam urget mictionis deſiderium. Morbo ad ſtatum evecto, luteus ſudor: pituitae vomitus, interdum etiam bilis: totum corpus friget: ſingultus: pulſus parvi, inordinati: facies ex livido rubeſcens: ſitis: animi inconſtantia: mentis vacillatio: nervorum diſtenſio: mors. Plura, quae de his affectionibus dicenda reſtant, ut ordine dirigantur, ad aphoriſmos relegamus.

In curandis morbis renum & veſicae duo potiſsimùm prae oculis habenda. Primum eſt, inflammationem eſſe ſedandam. Deinde praefatis ſymptomatibus eſſe occurrendum, ſolent enim ea interdum ita increſcere, ut fermè omnem curationis vim ad ſe trahant. Ergo communia inflammationis remedia hic adhibenda, atque adeo venae ſectionem inſtituere oportet, non quidem ut multus ſanguis extrahatur, id enim horum malorum conditio non tolerat, ſed ut pars laborans temperetur, onere levetur, & lubrica fiat. Purgatio ſub initiis minimè inſtituenda; at ejus loco clyſteres

res emollientes & laxantes ſubſtituendi. Decoctum oſsium capitis vervecis, additis floribus malvarum, violarum, ſambuci, pro clyſterum uſu congruens eſt. Enema ex quatuor oleis Fulleri, incipiente morbo, non congruit, eo tamen ſeneſcente, utile eſſe conſuevit. Igitur ad ſubducendam alvum pro uſu eſſe poteſt oleum ſeminis lini, aut amigdalarum dulcium recentiſsimè extractum, & larga ſatis doſi praeſcriptum, non enim inflammat, ut quidam ex ſyſtemate, non obſervatione, affirmant, ſed lubricando, leniendo, laxando, vias mirificè aperit, naturamque ad blandam rerum nocentium expulſionem incitat. Diluentia & refrigerantia multum hic locum habent, ut aqua ſimplex ſpiritu nitri ad gratam acciditatem alterata. Prodeſt etiam ſerum lactis pauxillo nitri medicatum. Sed curandum, ne nimia quantitate haec omnia ingerantur, quippe, occluſis urinae viis, facilè ſtagnant, & gravia mala inducunt. Si renum & veſicae inflammatio lenta ſit, praeter jam dicta medicamenta, hirudines ano applicatae juvant: nec ſpernenda eſt cucurbita lumbis adhibita, & fiſſuris impactis ſanguinem fundens. Juvant etiam in hoc caſu balneationes, uſuſque olerum infrigidantium & emollientium. Lactuca, intubus, aſparragi, gramen, aliaque id genus, praecipuus eſſe debet cibus eorum, qui his malis tentantur, alimenta enim ex carnibus, aromatis, & cupediis parata, ea exaſperant. Exterius renum regioni ad lumbos applicari poteſt cum fructu aqua tepida, aceto permixta, pannis lineis, aut ſpongia recepta. At hoc ipſum medicamentum cùm veſicae applicandum eſt, aliquo roborante, ut oleo camaemelli, lumbricorum, rutae, permiſcendum, quia veſica nervoſa eſt, & nimium frigidis laeditur. Emplaſtra, cataplaſmata, aliaque hujuſmodi medicamina his partibus applicari ſolent, neque prorſus damnandus eorum uſus, at, ponderе gravando parùm utilia eſſe, deprehendimus. Quod ſi aliquando neceſsitas iis uti cogat, ex emollientibus, ut malva, althaea, addita farina hordacea, tutò componi poſſunt. Eadem curandi methodus adhibenda eſt in doloribus harum partium, eo tantùm diſcrimine, ut ſi dolor nimium vigeat vireſque nimium diſsipet, medicamenta ex opio, atque, ut inter ea tutiſsimum, laudanum liquidum

Sydenhamii praeſcribi poſſunt, ea tamen lege, ut id remedii genus cautè admodum moderatiſsima doſi, nec niſi in caſu urgentiae, propinandum. Potio ex confectione hyacintorum, demptis aromatis, oculis cancrorum, ſyrupo de duabus radicibus, laudano liquido, & aqua graminis ſub moderatis doſibus grata eſt, dolores lenit, & naturam recreat. Monuit Hippocrates, in dolore renum poſt venae ſectionem in poplite inſtitutam, & purgationem, vias urinatorias eſſe mundandas (a). Medicamenta urinas moventia (diuretica vocant) ad eum finem ferè omnes praeſcribunt. Sed in morbis renum & veſicae, ſi ea medicamina ſub initiis adhibeantur, noxia ſunt: quocumque autem tempore ſi calida ſint, acria, & vehementia, tam longè abeſt, ut urinas moveant, ut eas potiùs intercipiant, aucta enim partium inflammatione, malum etiam augent.

Sanguinis fluxus per urinas non uno modo ſuccurrendus, varia enim eſſe debent Medici conamina pro circunſtantiarum varietate. Solet interdum ſanguis per renes & veſicam expurgari certis determinatiſque periodis cum levamine naturae, idque fit ſine febre, ſine moleſtia, & abſque virium jactura, ut Hippocrates monuit, noſque ex ejus mente in medicina veteri & nova monſtravimus. Nihil igitur tunc eſt agendum, ſed quiete tum corporis, cùm animi, optima diaeta, opus naturae relinquere expedit; qui enim ſanguinem ita fluentem coercere tentarunt, aegros in graviſsima pericula deduxerunt, ſanguinem enim ſuppreſſum ſequitur arthritis, vertigines, aliaque capitis mala, vel quod frequentius eſt, cachexia & hydrops. Fluit aliquando ſanguis ex dictis partibus ob earum debilitatem, retinendi vi fermè amiſſa, ſub quo caſu ſanguis ſeroſus apparet, ut non tam ſanguinem, quàm urinam ſanguineam aegrotantes mingere videantur. Sub hoc caſu fugienda omninò adſtringentia, vias enim coarctando, malum ſupprimunt, ſed non tollunt, ac majori vi poſtea revertitur. Reſtaurantia juſcula ex viperis, additis temperantibus, ut fragaria, pim-

pi-

(a) Hipp. *lib. 6. Epid. ſec. 1. text. 5.*

pinela, & vulnerariis levibus, ut hedera terrestri, agrimonia, maximè conferunt. Aqua, cui immixtus sit liquor ex nitro & marte seu tinctura elastica Pharmacopeae Matritensis, pro potu ordinario omnem hic adimplet paginam. Exercitatio corporis modica, purgationes leves ex rhabarbaro, amara vegetabilia citra caliditatem operantia, ut cichoreum, taraxacum, addito pauxillo centaurae sub forma decocti, in hoc malo prosunt. Quod si sanguis fluat ex ulcere renum aut vesicae, minimè adstringentibus supprimendus, sed ulcerum curatio instituenda, ut sanguis fluere desinat. In universum adnotare expedit, sanguinis fluxui per urinas obnoxios esse veneri & vino deditos, itemque eos, quibus laxa est lumborum partiumque vicinarum constitutio cum nimia caliditate, quod monitum esse volumus, ut cautè tractentur hujusmodi aegri, nec curationem ullam spectent, nisi ab iis rebus nocentibus prorsus abstineant.

Cùm calculus renes aut vesicam occupat, unica sese offert intentio, scilicèt ipsum extra corpus ejiciendi. Cùm verò lapis excerni nequeat, nisi viae satis pateant, & naturae robur validum sit ad expellendum, proinde duo agenda, scilicèt vias laxando dilatare, atque naturam ad hostem abjiciendum movere. Viarum dilatatio fit per emollientia, laxantia, aperientia tum exterius tum interius applicata. Valent ergo olea, balnea, diluentia, laxantia, quae pro inflammatione harum partium attulimus. Sed hoc genere medicamentorum non nimium insistendum, multa enim laxatio, sicut partes molles fluxilesque reddit, sic earum robur dissolvit. Idcirco cum medicamentis emollientibus roborantia aliqua parùm calida, ut flores camaemelli, betonicam, apium, aliaque id genus, immiscere licet. Interim clysteres ad laxandas vias, naturamque movendam ex usu sunt, sicut oleum amigdalarum dulcium in jusculo identidem repetitum. Sunt qui credant, certum esse medicamentorum genus, quod vi speciali calculos atterat, & in partes dividit, eaque praescribunt, ut in fragmenta partiti faciliùs excludantur. Inter ea medicamina numerantur sanguis hirci, lapis judaicus, cicadae siccae sine penis ac pedibus contusae, paserculus troglodytes conditus ac praeparatus, ossa

meſpilorum, aliaque benè multa paſsim in libris obvia. Sed fides ſit penes auctores, dum nos, de viribus harum rerum ad calculos infringendos dubii, ulterioribus obſervationibus confirmari deſideramus. Maximum ergo calculoſis remedium eſt à lapidum generatione praeſervatio, quae fit abſtinentia à multis & craſsis cibis: uſu frequenti olerum: aqua frigida pro virium robore plus minuſve ſuſcepta: integra vini privatione: exercitationibus mentis & corporis ad mediocritatem redactis: veneris, omniumque potuum ſpirituoſorum calefacientium, agitantium abſtinentia: levium purgationum ad aequinoctia uſu: balneationibus calidis, aut frigidis aeſtatis tempore pro aetatis, & naturae varietate: lactis aſinini poſt purgationes uſu. Quae omnia, ſi ritè rectèque obſerventur, remedium erunt ad calculorum praeſervationem, eorumque impediendam generationem praeſentiſsimum. Pro coronide advertendum reſtat, calculos in veſica ita interdum increſcere, & ad tantam magnitudinem pervenire, ut non niſi manuum operatione à Chirurgis extrahi poſsint. Haec operatio, quae grecè à quibuſdam *lithotomia*, ab aliis *ciſthotomia* appellatur, in uſum adducta eſt ab antiquiſsimis medicinae temporibus. Hippocrates jurejurando Medicos obſtringit, ne umquam eam exerceant, quod non de Medicis tantùm, ſed & de Chirurgis intelligendum, cùm ejus temporibus medicina minimè à chirurgia ſejuncta adhuc eſſet. At poſterioribus temporibus multùm exculta eſt lithotomia, ut videre eſt apud Celſum inter Latinos, & Albucaſim inter Arabes. Sub initiis ſaeculi decimi ſexti horum lithotomiam, quae ſimplici modo peragebatur, relinquentes Chirurgi Itali, aliam magis compoſitam, ſed eorum judicio commodiorem, invenerunt, eamque extollit & longè deſcribit Chirurgus Hiſpanus Franciſcus Diaz, qui eo tempore florebat, in eximio opere *de morbis renum & veſicae*, lingua vernacula conſcripto (a). Harum operationum prior *apparatus minor*, poſterior *apparatus major* dicta eſt. Aliae deinceps operandi rationes inventae ſunt,

(a) Franciſc. Diaz *Trat. de las Enferm. de riñon. y veg. &c. lib. 2. cap. 8. pag. 136.*

ſunt, *alta* ſcilicet, cùm veſica circa pectinem ex inferiore parte abdominis ſcinditur : & operatio *fratris Jacobi*, quae ſub finem praeteriti ſaeculi invalere coepit. Omnes, quotquot hactenus inventi ſunt veſicae apperiendae modi, hiſtoricè & chirurgicè ab Heiſtero proponuntur, quem tironibus legendum commendamus (a). Utcumque tamen haec operatio perficiatur, periculoſiſsima eſt, ut prudentes Chirurgi fatentur, quidquid aliqui nebulones in contrarium afferant. „ Quantum„ vis graviter (inquit citatus Heiſterus) in excolendis perfi„ ciendiſque calculum ſecandi artificiis, ut ex dictis patet, ce„ lebres & Medici & Chirurgi deſudarunt, ipſum tamen opus „ ſatis periculoſum atque anceps adhuc eſt, ut nulla omni„ nò lithotomiae methodus exiſtat, quae tutò ſemper ad„ hiberi queat, & quae, non cum gravibus ſaepe, praeſer„ tim certis in caſibus, conjuncta ſit incommodis atque pe„ riculis (b). Adde, eos qui calculo laborant, ſemel educto uno, alterum generare, atque eiſdem uſu venit quod hydropicis, quibus per paracenteſim educta aqua, alia de novo procreatur (c). Supereſt, ut de celebrioribus medicamentis hoc noſtro tempore uſitatis aliqua dicamus. *Uva urſi*, planta noſtris regionibus familiaris, magnis extollitur laudibus ab Antonio de Haen, qui multis obſervationibus probare contendit, uſu hujus plantae calculoſorum ſymptomata miteſcere: „ Ut cum praeſente calculo ſint adeo ſani, & in functioni„ bus ſuis praeſertim ouropojetica adeo valentes, quam ſi „ prorſum liberi à calculo eſſent (d). Hujus auctoris veſtigia premens botanicus noſter, revera inſignis, Joſephus Quèr diſſertationem lingua vernacula edidit de Uva urſi, quam in morbis renum & veſicae, praeſertim calculoſis, mirè commendat. Fateor, non ſatis mihi comperta eſt hujus plantae vis in dictis morbis tollendis, atque tirones moneo, ut ulterioribus obſervationibus de hac re certiores fiant. Interim pla-

---

(a) Heiſter. *Inſt. Chirurg. part.* 2. *ſec.* 5. *cap.* 140. *pag.* 802. *ſeq.*

(b) Heiſt. *Inſt. Chirurg. part.* 2. *ſec.* 5. *cap.* 143. §. *XL. pag.* 896.

(c) Vide Deſauvag. *Gener. & ſpec. morb. claſ.* 9. §. *XXVII. num.* 13. *pag.* 200.

(d) Haen *Ratio meden. part.* 6. *cap.* 5. §. 1. *pag.* 124. *Vide etiam part.* 3. *cap.* 4. *pag.* 340. *ſeq.*

placet judicium Lieuthaudi ita loquentis: „ Uvam urſi ſum-„ mis laudibus extollit Cl. de Haen, qui inter artis proce-„ res haud infimum locum ſibi vindicat; ſed num induciae, „ quibus inter hujuſce remedii uſum fruuntur aegri, haud „ potius paregoricis & injecto in veſicam oleo lini referri „ queant? Solertioribus examinandum relinquimus (a). Neque diſsimulandum arbitror, ab hujus plantae uſu, ut ait Deſauvages, veſicae mucum abradi, & dyſuriam interdum recrudeſcere (b). Aliud remedii genus, noſtris temporibus, celebratiſsimum ad calculos infringendos publici juris fecit in Anglia inſignis foemina Joanna de Stephens, cui illius Regni Senatus pecuniae ſummam ſatis notabilem pro ſui remedii publicatione dono dedit, poſtquam viginti cenſorum judicium, quibus examen curationum demandatum eſt, notum habuit. Cum ex Anglia per totam fermè Europam medicamenti Stephenſiani fama percrebuit, extemplò commotis animis, ut fieri ſolet, in varias Profeſſores abiere ſententias. In Gallia ipſum approbarunt Geofrojus primùm, deinde Morandus, quorum ille in medicina & re pharmaceutica: hic in operibus chirurgicis (c) exercitatiſsimus. At in Germania non placuit hoc remedium Antonio de Haen, qui, ipſum ad lapides potius efformandos quàm tollendos diſponere, multis probare contendit (d). Neque in Anglia Meadio placuiſſe videtur (e). Noviſsimè Lieuthaudus, id remedium, etſi ad ſaxeos lapides ſolvendos non prodeſſe, ad molles & gipſeos praeſtantiſsimum eſſe, accuratioribus experimentis confirmari, aſſerit: qua diſtinctione neglecta, perperam de hac re diſſentire vel graviſsimos Medicos, cenſet (f). Jàm verò remedium Stephenſianum tria includit, nempè pillulas, pulverem, decoctum. Pillulis ſapo ad uncias

(a) Lieuth. *Synop. univerſ. prax. ſec.* 4. *Lithiaſis*, *pag.* 259.

(b) Sauvag. *Gener. & ſpec. morb. claſ.* 9. §. *XXVII. num.* 13. *pag.* 200.

(c) *Memoires de l'Academie Royale des Sciences*, *anno* 1739. *pag.* 275. *& anno* 1740. *pag.* 177.

(d) Haen *Ratio meden. part.* 5. *cap.* 5. §. 6. *pag.* 332.

(e) Mead. *Monit. & praecepta Medic. cap.* 10. *pag.* 95.

(f) Lieuth. *Synop. univerſ. prax. ſec.* 4. *Lithiaſis*, *pag.* 259.

cias quatuor, & ſufficiens mellis quantitas baſim praebent. His poſtea miſcentur in mortario marmoreo ſub aequali doſi cochleae calcinatae, ſemina dauci ſilveſtris, bardanae, fraxini, & oxyacantae ad nigredinem uſta & calcinata. „ Summè depraedicantur (inquit Lieuthaudus) nec imme- „ ritò ad infarctum renum: dantur ſaeviente paroxiſmo ne- „ phritico ad ſemidragmam ſingulis, vel alternis horis. Praeſ- „ cribuntur ad dragmam unam vel alteram ſingulis diebus „ ad novam praecavendam invaſionem, quod rarò fallit (a). Pulvis conficitur ex putaminibus ovorum, & cochleis, ſeorſim calcinatis. Pro decocto paratur prius maſſa ex ſapone ad uncias quatuor & dimidiam, cui additur mel, & naſturtium uſtum & ad nigredinem calcinatum: quo facto haec maſſa in aqua ad libras quinque coquitur cum foliis bardanae, petroſelini, foeniculi, & floribus camaemelli. Tandem mel colaturae additur (b). Ter per diem exhibetur pulvis ad ſcrupulos duos ex vino ſuperbibendo praedicti decocti cyathum. „ Hoc eſt praeclarum lithontripticum (in- „ quit Lieuthaudus) quo, me teſte, plures, doloribus attro- „ ciſsimis confecti, & ad interitum ruentes, incolumes eva- „ ſerunt; ſed haud reticendum, impar fuiſſe illud reme- „ dium ſolvendis calculis ſiliceis, alias rarioribus (c). Utut ſit, cavendum ſemper à calidis medicamentis, quae inflammationem augent, & lapides indurant. „ Quare (rectè „ inquit Lacuna noſter) ab iis medicis non minus cavendum „ eſt, quàm à morbo ipſo, qui infeſtanti calculo renum ca- „ lidiſsima propinant medicamenta, quibus praeterquam- „ quod nihil praeſidii afferunt, calculi occaſionem adaugent, „ inflammant viſcera, ac renes denique & veſicam exulce- „ rant (d).

In diabete tollendo ea conferunt, quae in inflammatione renum & veſicae tradidimus. His addi poſſunt medicamina in hepatis inflammatione adducta, nam hypocondria, he-

(a) Lieuth. *Synop. univerſ. prax. part. 2. lib. 1. ſec. 2. pag. 702.*

(b) *Memoires de l'Academ. Royal des Sciences, anno 1739. pag. 276.*

(c) Lieuthaud. *loco proxim. citato, pag. 702.*

(d) Lacuna *Method. cognoſc. extirpandiq. veſi. carunc. pag. 12.*

hepar praeſertim malè affectum, morbum hunc augere, celebrium auctorum obſervatione conſtat (a). Scire autem expedit, diabetem cum aeſtu viſcerum perpetuò conjungi, non utcumque, ſed humorum alibilium colliquatione comitato. Hinc duo ſequuntur phoenomena. Primum: totum corpus avidè expetere humiditatem potus. Alterum: eam humiditatem cum liquata partium ſubſtantia per renes & veſicam expelli. Hinc marcor, febris lenta, tabes, hujus morbi conſectaria eſſe ſolent. Hinc mirum non eſt, multo plus aqueae humiditatis excernere per urinas diabete affectos, quàm ea quae per cibum & potum aſſumitur: pars enim ex humore corporis liquato, pars ex aëris ambientis humore à corpore atracto procedit, ut alibi monſtravimus (b). Omni ergo cura incumbendum, ut acrimonia & calor viſcerum temperetur, ita tamen, ut natura ex diſsipatione languens roboretur. Id fiet, praeter jàm dicta, uſu continuo lactis aſinini per menſes integros abſque alio alimento, ſi fieri poſsit; ſin minus vitellis ovorum recentium, aut pauculo panis aeger reficiendus. Prodeſt, ubi aegrotantis vires & conſtitutio lac perferre non poteſt, ſerum ſaccharo aluminis Batimelli ad dragmam unam alteratum. Vulneraria, detergentia, roborantia, hic locum habent. Aqua hordei ſaccharo roſato mixta, bis aut ter in die repetita, utilis eſt. Rhaſes Arabs, ad hunc morbum, in potu ſumendos adducit trociſcos, optimi quidem uſus, ſed qui apud rerum novarum amatores perperam eviluerunt (c). *Urinae incontinentia* in pueris nullo medico auxilio indiget, ſola enim naturae vi, per aetates accreſcente, tollitur, ut imprudentes admodum ſint mulierculae, quae, puerulos, noctu inter dormiendum ſtragulas mingentes, minis & verberibus conficiunt. Id ipſum malum in ſenibus immedicabile eſt, mollities enim & laxitas nervorum in iis ex vitae imminutione pendet. Nihilominus animadvertendum, noxia eſſe in hoc malo

(a) Mead. *Monit. & praecep. med. cap. 9. ſec. 2. pag. 90.* Lieuth. *Synop. univerſ. prax. ſec. 4. pag. 270.*

(b) *Vide Phyſic. noſtr. experim. tract. 4. prop. 77. num. 294. pag. 292.*

(c) Rhaſ. *lib. 9. ad Almanz. cap. 78. pag. 48.*

lo quae refrigerant non modò interius, ſed exterius. Sic piſcator, Galeno referente, qui, ut piſces caperet, ſuper lapidem diu ſedit, adeo circa ſedem & veſicam fuit infrigidatus, ut ipſi invito & excrementa & urina efduerent (a). Idem accidiſſe debilibus, qui in frigida lavarunt, experimentis notum eſt (b). Adſtringentia medicamina, tum interna, tum externa, quae à multis hic laudantur, commendare, non audeo, quia dum urina vi cohibetur, corpus inflat, & poſtea majori copia erumpit. Prodeſſe dicuntur virtute ſpecifica pulmo haedi, leporis cerebellum, erici caro, cerebrum aquilae, lingua anſeris, veſica porcina, ſingula quidem uſta & in potu exhibita. Sed fides ſit penes auctores. „ Inter anilia medicamina (inquit Lieuthaudus) re„ ferri debet pulvis muris, aliaque conſimilia ab inſulſa ple„ be decantata, quae tamen nihil vetat experiri, ſi ab aegris „ obnixè efflagitentur: nemo enim neſcit, quid valeat erga „ omnia remedia aegrotantium fides (c).

Dum iſchuria ſeu urinae ſuppreſsio praeſens eſt, ſedulò inquirendum, an ob viarum occluſionem, vel ob renum & veſicae imbecillitatem advenerit. Si calculus, arenulae, ſanguinis grumus, inflammatio, urinam cohibeant occludendo vias, curatio, ſuperiùs pro his malis poſita, inſtituenda eſt. Quod ſi ex partium imbecillitate, qua vis atrahendi & expellendi in iis deficit, urinae retentio procedat, videre expedit, num oppreſsio, diſsipatio, aut corruptio ſubſtantiae ipſarum partium intercedat, ad has enim affectiones generales omnis imbecillitas reduci poteſt, ut agentes de ſpiritibus in Phyſiologia vidimus. De oppreſsione ſatis jam dictum in inflammatione, calculo, aliiſque id genus incommodis, quae vires renum & veſicae opprimunt. Sed cùm ab his urina ſupprimitur, fermè repentè id contingit. Secùs accidit in diſsipatione, ut ſenibus familiare eſt, tunc enim ſenſim minuitur urina ob partium impotentiam, donec, penitus deficiente virtute, omnino ſupprimatur. Ex corruptio-

(a) Gal. *de Locis affec. lib.* 1. *cap.* 6. *circa finem.*

(b) Vide Nicol. Piſ. *de cogn. & cur. morb. lib.* 3. *cap.* 41. *pag.* 271.

(c) Lieuth. *Synop. univerſ. prax. ſec.* 4. *pag.* 272.

ne cohibetur urina, quoties diatheſis aliqua renes & veſicam vitiat, aut ex ulceribus harum partium, ſuppurationibus, aliiſque hujuſmodi incommodis, partium ſubſtantia corrumpitur, uſque adeo ut ſua officia peragere nequeant. Hujus ſuppreſsionis curatio ex correctione eorum, quae partes corrumpunt, deducenda eſt. Supereſt igitur, ut de iſchuriae ex imbecillitate ortae curatione loquamur. Ergo interius vires partium urinam excernentium augendae per medicamenta roborantia & diuretica. Potio ex ſucco limonum, nitro, ſyrupo de quinque radicibus, aqua raphani, aut aſparagi, ex uſu eſſe conſuevit. Spiritus nitri dulcis paucis guttulis olei therebintinae ex aqua parietariae utilis eſſe poteſt. Confert etiam expreſsio aſſellorum ſeu millepedum aqua graminis mixta. Nec incongruum eſt balſamum copaivae, ſuccinum, aut ejus ſal. Sed prae caeteris celebratur herba braſilienſis *pareira brava*, ſeu *butua* quae in ſubſtantia datur ex vino albo à granis quindecim ad ſemidragmam: ad duplum verò in infuſo aquoſo vel vinoſo. Cavenda ſunt diluentia, & aquea humiditate corpus replentia. Sunt qui venae ſectionem, & emeticum laudent in hoc caſu, ſed viribus infirmis haec aut prorſus omittenda, aut cautè adminiſtranda. Inter externa laudantur oleum lumbricorum, camaemelli, lauri, rutaceum. Laudatur etiam cataplaſma è coepis coctis, & parietaria, aliaque hujuſmodi paſsim apud Auctores obvia. Nec deſunt, qui ſinapiſmos tum pectini, tum lumbis apponendos, cenſent. Sed huic urinae retentioni nihil aequè prodeſt, ac catheterem immittere, qui forte unicum in ſenibus praeſidium eſt. Nec deſunt qui ſub hoc caſu, jàm fermè deſperato, apertionem veſicae commendant. Sed id remedii genus, ex ſe periculoſiſsimum & crudele, partem debilem citius emori, facit.

In ſtranguria ſeu urinae ſtillicidio ea agenda, quae pro renum & veſicae inflammatione praeſcripſimus, poſtulat enim haec affectio venae ſectionem: poſtmodum diluentia, demulcentia, temperantia. Hinc juſcula pulli herbis refrigerantibus alterata: lac, ejuſque ſerum: infuſa, aut decocta ex floribus malvae, radicibus altheae, nimpheae, fragariae: emulſiones ex ſeminibus frigidis: oleum amigdalarum dul-

ciumi

cium: nitrum pauxillo camphorae mixtum, aliaque id genus multa, huic affectioni ſuccurrunt. Enemata laxantia, refrigerantia, & roborantia, maximi ſunt uſus. Lac ipſum vitellis ovorum mixtum: decoctum capitis & inteſtinorum verbecis, additis floribus violarum, ſambuci, papaveris, optima ſunt. Sed incaſum fient omnia, ſi aeger in hoc malo ab eſu carnium magna ex parte non abſtineat, ſeſeque dietae refrigeranti & humectanti ex herbis, oleribus, & fructibus deſumptae non committat.

APHORISMI.

I.

Si quis ſanguinem aut pus mingat, renum aut veſicae exulcerationem ſignificat (a).

II.

Quibus in urina craſſa exiſtente carunculae parvae, aut veluti pili unà exeunt, his de renibus excernuntur (b).

III.

Si quis ſanguinem mingat & grumos, & urinae ſtillicidium habeat, & dolor incidat ad imum ventrem & perinaeum, partes circa veſicam laborant (c).

Cùm pus, ſanguis, carunculae, aut, pilorum inſtar, filamenta per urinam excernuntur, renes & veſicam aut ulcere, aut alio malo affectos eſſe, neceſſe eſt. Sed quando aegritudo veſicam, aut renes magis occupet, ut eò curatio dirigatur, optimè explicat Celſus his verbis: „ At ſi ſanguis, aut pus in urina eſt, vel veſica, vel renes exulcerati „ ſunt. Si haec craſſa carunculas quaſdam exiguas, aut qua„ ſi capillos habet, aut ſi bullat, aut malè olet, aut inter„ dum quaſi arenam, interdum quaſi ſanguinem trahit, dolent

(a) Hipp. *lib.* 4 *Aphor. ſent.* 75.
(b) Hipp. *ibidem, ſent.* 76.
(c) Hipp. *loc. citat. ſent.* 80. & *lib.* 7. *Aphor. ſent.* 39.

„ autem coxae, quaeque inter has ſuperque pubem ſunt,
„ & accedunt frequentes ructus, interdum vomitus bilio-
„ ſus, extremaeque partes frigeſcunt, urinae crebra cupidi-
„ tas ſed magna difficultas eſt, & quod inde excretum eſt
„ aquae ſimile, vel rufum, vel pallidum eſt, paulum ta-
„ men in eo levamenti eſt, alvus verò cum multo ſpiritu (fla-
„ tu) redditur, utique in renibus vitium eſt. At ſi paula-
„ tim deſtillat, vel ſanguis per hanc editur, & in eo quaedam
„ cruenta concreta ſunt, idque ipſum cum difficultate reddi-
„ tur, & circa pubem interiores partes dolent, in eadem ve-
„ ſica vitium eſt (a).

IV.

Quibus in urina arenoſa ſubſident, illis veſica calculo labo-rat (b).

Veſica interdum ex ſe ipſa calculum generat, ut fit in pueris, qui rarò, aut fermè umquam calculos ex renibus habent: interdum ex renibus eos accipit, ibique foventur & creſcunt. Sed cum in utroque caſu ſabula ſeu arenulae in urina ſubſidant, accuratè debet Medicus affectas partes ex ſymptomatibus dignoſcere. Videndus utique Celſus, qui de his rebus pro more ſuo praeclarè differit (c).

V.

Quibus in urina craſſa exiſtente furfuracea ſimul minguntur, iis veſica ſcabie laborat (d).

VI.

Si quis ſanguinem & pus mingat & ſquamas, & odor gravis ſit, veſicae exulcerationem ſignificat (e).

Urinae ſic vitiatae non modò renibus & veſica affectis, ſed ex aliarum partium vitio interdum proveniunt, quod benè notent tirones, ne in praedictione & curatione fallantur.

(a) Celſ. *de Medic. lib. 2. cap. 7. pag. 60.*
(b) Hipp. *lib. 4. Aphor. ſent. 79.*
(c) Celſ. *de Med. lib. 2. cap. 7. pag. 61. & lib. 7. cap. 26. num. 3. pag. 480.*
(d) Hipp. *lib. 4. Aphor. ſent. 77.*
(e) Hipp. *loc. citat. ſent. 81.*

tur. Igitur quid tales urinae ſignificent in aliis morbis, longè proponit Hippocrates in Prognoſticis, noſque in ejus Illuſtrationibus declaravimus (a). Cum verò & pus, & ſanguis, & craſſa materia ex renibus aequè ac veſica fluere poſsint, intento animo debet Medicus ex ſymptomatibus, ſed praeſertim ex laeſis actionibus, ubinam malum ſedem ſuam maximè fixerit, inquirere. Scabies veſicae fit, cùm humor ejus nativus ſalſus, acris, & pruriginoſus redditur, raròque ſine ſtranguria id fit. Sub eo caſu refrigerantia & diluentia utilia ſunt, ſed perpetuò conſiderandum, veſicam, utpotè nervoſam, nimiùm frigidis laedi. Decoctum viperarum, cornu cervi, raſurae eboris, taraxaci, fumariae, additis aequis partibus nitri & florum ſulphuris, longo uſu ſumptum proficuum eſſe, credimus. Malus utique odor, non ſolùm veſica ſed renibus etiam exulceratis, praeſtò fit. Ergo cùm urina craſſa alba foetet, lactique non admodum diſsimilis pro ſedimento habeat craſſamentum viſcidum & cohaerens, narium muco, aut ovi candido perſimile, atque ita ponderoſum, ut non niſi difficilè, cùm agitatum fuerit, aſcendat, ulcus ſubeſſe, certò indicat; quod ex dolore, & reliquis ſymptomatibus, num renes, aut veſicam occupet, deducendum.

VII.

Quibus rectè valentibus hieme frigus eſt circa lumbos atque gravitas levi de cauſa, tum alvus ſubſiſtit infera, & ſupera in officio eſt convenienter: iis vel iſchias, vel renum dolor, vel ſtranguria fortè contingit (b).

Lumborum nomine hic ſignificantur partes, quae in ea regione continent, quae continentur, quae adjacent foris & intus, tum ea, quae à lumborum nervis ortum habent. Hinc vertebrae, medulla ſpinalis, renes, muſculi lumborum foris & intus, vena & arteria lumbares, atque etiam emulgentes, meſenterium, &c. ſub eo nomine complectuntur. Ha-

(a) *Vide Illuſt. noſt. ad Hipp. Progn. ſec. 2. text. 28. & ſeq. & text. 37. p. 156.*

(b) Hipp. *in Coac. Duret. lib. 2. cap. 25. ſent. 1. pag. 365.*

Harum partium dolores lumbos afficiunt, indeque fit, ut lumborum dolor vel peritiſsimos ſaepe fallat in affecta parte deſignanda (a). Ex mutua harum partium communicatione ob vicinitatem obſervamus, unius morbum in aliam tranſferri, ut colicos dolores in nephriticos, hos in lumbares & iſchiadicos facilè mutari, videamus. Propter dicta, in his malis agnoſcendis maximè adlaborandum, magnorum enim morborum initia, tum acuta, tum chronica ex affectis lumbis incipere conſueverunt. Igitur in univerſum tria ſunt lumborum dolentium principia. Dolent interdum ob ſanguinis copiam, ut verè dixerit Hippocrates, *dolorifica lumborum mala eſſe ſanguiſlua* (b). Ita afficiuntur melancholici, qui ſanguinem per haemorroidas non fundunt: mulieres, quibus menſtrua non ea copia, quae par eſt, procedunt: & quicumque multum ſanguinem in venis alvi colligunt. Horum omnium dolores venae ſectio, & diaeta tenuis ac refrigerans ſolvunt. Deinde dolent lumbi ob affectum meſenterium & inteſtina, quandoque etiam ex utero. Denique ex renibus, & muſculis, & affectione ſpinalis medullae lumbi dolere ſolent. Ergo ſi in ſanis lumbi frigent hieme ob fluxionem humoris ex capite per ſpinalem medullam, quae in ea regione ſubſiſtat, ita tamen ut nec diarhoea, aut vomitus accedant, iis iſchias, ſi deſtillatio ad coxam deſcendat: vel renum dolor, ſi in renibus, aut muſculis vicinis ſubſiſtat: aut ſtranguria, ſi fortè veſicam occupet, ſupervenire ſolent. Si Medici in praxi accuratè obſervent quae circa aegros contingunt, haec omnia vera eſſe comperient.

VIII.

Quibus in urinis bullae ſuperſtant, renum affectiones ſignificant, & longam fore invaletudinem (c).

IX.

Quibus autem pingue eſt & confertum quod ſupernatat, his affec-

(a) Vide Gorter *Medic. Hipp. lib. 7. aphor. 36 pag. 475.*
(b) Hipp. *in Coac. Duret. lib. 2. cap. 12. ſent. 2. pag. 176.*
(c) Hipp. *lib. 7. Aphor. ſent. 34.*

fectiones nephriticas & acutas ſignificat (a).

X.

Quibus verò nephriticis exiſtentibus praedicta ſigna accidunt, & dolores circa muſculos ſpinales fiunt, abſceſſum expecta futurum extrorſum. Si verò dolores fiunt magis ad interna loca, abſceſſum magis introrſum fore expecta (b).

Bullae in urina fiunt ex humore craſſo, ſpiritu flatulento igneo repleto, atque adeo ſi, excluſa urina, diu permanent (is enim eſt ſententiae ſenſus) longum morbum renum ex inflammatione lenta ortum ſignificant; non perpetuò quidem, etenim ex aliis partibus malè affectis urinam ſpumoſam fieri poſſe, Hippocrates in Prognoſticis monſtravit. Ergo renum affectorum ſignificatio in hoc aphoriſmo, ſicut etiam in ſequenti, eadem lege intelligenda, qua ſuperiùs de urina furfuracea & ſquamoſa loquuti ſumus. Si ergo non bullae, ſed pingue quid & confertum in urina ſupernatat, renes acuta inflammatione laborare, cenſendum, quod tum maximè ſignificatur, cùm collectio pinguedinis in urina neque guttatim, neque inſtar telae aranearum, ut ex morbis aliarum partium fieri ſolet, ſed confertim & ſatis densè efformatur (c). Jam verò ſi pinguedo in urina ſubſidat ex renibus malè affectis, ſimulque dolores circa muſculos lumbares in dorſo fiant, abſceſſus timendus exterior, ſi externae partes: interior, ſi partes internae doleant. Ut id tirones agnoſcant, tactu explorent partes circa lumbos, & aegrum movere faciant, ſic enim externas, aut internas partes dolere intelligent. Gorterus cùm ſimilem caſum in praxi obſervaverit, poſtquam Hippocratem tamquam divino ingenio praeditum laudat, ait: „ De veritate hujus obſervationis minimè du„ bitandum, ſed potius mirandum, noſtrum ſenem in ri„ mandis phoenomenis, ut ex iis formaret praeſagium, ne„ minem habuiſſe parem (d). Cùm Hippocrates in hac ſen-

ten-

(a) Hipp. *loc. citat. ſent.* 35.
(b) Hipp. *loco citat. ſent.* 36.
(c) Vide Galen. *com.* 7. *in Aphor. Hipp. ſent.* 35.
(d) Gorter *Medic. Hipp. lib.* 7. *aphor.* 36. *pag.* 476.

tentia tamquam baſim praeſagii de futuro abſceſſu *praedicta ſigna* ponat, quae ad anteriora referuntur, num de ſola pinguedine, an etiam de bullis in urina apparentibus vera ſit in praxi doctrina, dubius haereo, atque, ulterioribus obſervationibus id confirmari, deſidero.

XI.

Sanguinis mictus, rarus quidem & ſine febre ac dolore, nihil mali indicat, verùm laſsitudinum ſenſus ſolvitur. Quod ſi ſaepius mictus reddatur, aut horum aliquid acceſſerit, periculum minatur. At praedicendum eſt, ſive cum dolore, ſive cum febre mictus reddatur, pus inſuper per urinam effluxurum, atque eo pacto dolores tolli (a).

Haec ſententia, quae in praxi vera eſt, nulla indiget explicatione, dummodò puris nomine non verum pus ex phlegmone natum, ſed materiam puri ſimilem, ut Hippocrati in more erat, intelligamus. Videre non pigeat quae alibi de hac Hippocratis doctrina diximus (b). Occaſione mictus ſanguinis monendum duxi, nihil magis in praxi familiare eſſe Medicis, nihilque pernitioſius, quàm ſtatim ad adſtringentia medicamenta confugere. Sanguinis fluxus, quicumque demùm is fuerit, ſi aegrum ex nimia copia exhauriat, metumque ſyncopis inducat, adſtringentibus cohibendus; ſed rarò admodum id evenire, experientia edoctus affirmo, ſaepiſsimè enim natura per ſanguinis excretiones copioſas magnos morbos tollere conſuevit. Gorterus, de vomitu cruento adſtringentibus tractato loquens, optimè monet, eam methodum non benè procedere, ſed alia via curationem eſſe inſtituendam, ita ut ab omni adſtringente & coagulante cavendum ſit, quae ſanguinem in grumos convertunt difficilè ſuperandos. Monet interim, vinum rhenanum, dilutum ſucco citri, & laudano liquido parva quantitate, vomendi conatus compeſcere (c). Quod monitum ad ſanguinis mictum tranſla-

(a) Hipp. *lib.2. Praedict. text.34.*
(b) *Vide Medic.veter.& nov.tract.1. pag.21. edit. Matrit. anno 1758.*
(c) Gorter *Medic. Hipp. lib.7. aphor. 37. pag.477.*

latum aegris commodum eſſe poteſt: ſi enim ſanguinem mingentibus ſpiritus nitri dulcis, cum pulvere cancrorum, ſyrupo de altea Fernelii, & aqua graminis, ſub forma potionis praeſcribatur, auxilium inde ſequendum veriſimile eſt.

XII.

Recto inteſtino inflammato, & utero inflammato, & renibus ſuppuratis urinae ſtillicidium ſupervenit. Hepati autem inflammato ſingultus ſupervenit (a).

Ipſa partium vicinitas facit, ut affectis utero, & inteſtino recto, afficiatur etiam veſica. Ex doloribus colicis diuturnioribus translata materia in rectum inteſtinum: ex haemorroidum tumore & dolore, ſanguine hoc inteſtinum replente & calefaciente: ex pituita per ſpinalem medullam à cerebro in podicem fluente (b), inteſtinum rectum ſaepè inflammatur. Huic malo dum accedit ſtranguria, nulla curatio pro hac eſt inſtituenda, ſed inteſtinum rectum corrigendum, quo facto curabitur ſtranguria.

XIII.

Dyſuriam ſeu urinae difficultatem venae ſectio ſolvit: ſecandae verò internae (c).

XIV.

Stranguriam & dyſuriam vini potus, & venae ſectio ſolvit: ſecandae verò internae (venae) (d).

Non indiſcriminatim, velim, tirones monitum in hac ſententia contentum accipiant. Venae ſectio in ſtranguria, ex interno poplite inſtituta, optimum auxilium eſſe ſolet, non quidem perpetuò, ſed cùm urinae ſtillicidium cum inflammatione veſicae, inteſtini recti, partiumque vicinarum conjungitur. In pueris, ſenibus, cachecticis, multiſque crudi-

(a) Hipp. *lib.* 5. *Aphor. ſent.* 58.
(b) Vide Hipp. *de Fiſtulis, ſec.* 3. *text.* 1. *& ſec.* 4. *text.* 1.
(c) Hipp. *lib.* 6. *Aphor. ſent.* 36.
(d) Hipp. *lib.* 7. *Aphor. ſent.* 48.

tatibus obnoxiis, etsi strangurioſi fiant, cautè admodum in vena ſecanda procedendum. Idem dictum eſto de dyſuria. Cùm verò affectiones iſtae ex imbecillitate proveniunt, ſeu cum ipſa conjunctae ſunt, ut venae ſectio noxia, ita vinum aqua dilutum utile eſſe poteſt, quod certè in ſupradictarum partium inflammatione pernicioſum foret. Uno verbo, ubi in his malis convenit venae ſectio, vinum noxium eſt, & contra.

XV.

Haud ſilentio praetermittendum, aliam nuperrimè inventam fuiſſe iſchuriae cauſam haud infrequentem, nempe protuberantem caruncularn in cervice veſicae ſitam, quae ultra modum ſaepius tumens non ſolùm urinae fluxum ſiſtit, ſed etiam praepedit quominus fiſtula argentea in veſicam adigatur: qui obex ubi innotuit, facilè ſolerti manu ſuperatur (a).

Lieuthaudus, hujus ſententiae auctor, Academiae Regiae Scientiarum Pariſienſi obtulit curioſam diſſertationem de ſtructura veſicae, ibique inter alia, quae ſibi viſus eſt de novo comperiiſſe, caruncularn circa collum veſicae invenit, quae ultra modum excreſcens iſchuriam inducere ſolet; eamque tam crudelis morbi cauſam tamquam hactenus ignoratam hiſtoriographus Academiae proponit (b). Laudamus quidem ſapientium hominum labores eximios; ſed haud reticendum, ſupra laudatum Diaz, Doctorem Medicum Complutenſem, & Philippi II. Hiſpaniarum Regis Chirurgum, integrum edidiſſe librum de caruncularis in uretra naſcentibus, & urinae ſuppreſsionum cauſis. Ante aliquot annos de eodem argumento tractaverat noſter Lacuna (c), vir ad naturalem ſcientiam excolendam natus. Id diſcriminis inter novum, ut dicitur inventum, & noſtrorum antiquam doctrinam intercedit, quod Lieuthaudus naturaliter eam caruncularn circa veſicae collum reperiri ait: Diaz autem praeter naturam generari, ex ulceribus praeſertim antece-

den-

(a) Lieuth. *Synop. univerſ. prax. ſec.* 4. *pag.* 268.

(b) *Hiſtoire de l'Academ. Royal des Sciences, anno* 1753. *pag.* 105.

(c) Lacun. *Meth. cogn. extirp. excreſ. in veſ. collo caruncul. Romae an.* 1551. *in* 8.

dentibus ſtatuit. De caetero, tam accuratè Hiſpanus noſter iſchuriam ab his carunculis natam perſequitur, ut nihil amplius deſideres. Itaque cùm ex gonorraea virulenta, ulcerosa caro ſupercreſcens in canale pudendi, & interdum circa veſicae collum generari ſoleat, unde urinae ſuppreſsio oritur, propterea curationem inſtituit Diaz per virgulas cereas cauſtico obductas, quibus in pudendum immiſsis, excreſcens caro conſumitur, quo facto, ulceris conſolidationem omni ope molitur, nili enim id fiat, malum inde reverſurum certò promittit. Sed paucis abhinc annis, curis Halleri, de novo prodiit Hieronymi Lapi diſſertatio de curatione ſtranguriae, qua praedictam methodum rejiciens tamquam faſtidii plenam & ad penitus ſanandum omninò invalidam, aliam inſtituit, quae eò dirigitur, ut per medicamenta emollientia tum callus, tum ulcus ſubigantur. Prius igitur praeſcribit injectiones per ſyringam ex decocto malvae, violae, parietariae, altheae, mercurialis, &c. Deinde eodem modo olea leniſsimo calore fluentia, ut amigdalarum dulcium, lini, olivarum, immittit. Quod ſi febris ex horrore ſuperveniat cum capitis dolore, aliiſque hujuſmodi ſymptomatibus, nihil inde mali ominari ait, quin potius, ut conamina ſalubria naturae, ea omnia reſpicit (a). Utra tamen methodus praeferenda ſit, in medio relinquimus. Id tantùm cenſemus, in leviori malo, Lapii curationem: in graviori, noſtri Diaz conſilia ſolerti manu tractata, in uſum adduci poſſe. Ex dictis corriges errorem Deſauvages, qui, non dudum, ait, candellulas cereas in locum plumbearum ſuffectas eſſe à Daràn, Goulart, Andrè, &c, ſaeculo autem elapſo à Hieronymo Lapi Italo primùm uſurpatas (b); cùm omninò certum ſit, ſub initium ſaeculi decimiſexti uſurpari coepiſſe, atque à noſtro Diaz fermè per ſaeculum integrum, ante Gallos citatos, in uſum adductas.

(a) *Vide Diſput. Pathol. ab Hallero edit. tom. 4. diſp. 117. pag. 127. ſeq.*

(b) Deſauvag. *Gener. & ſpec. morb. claſ. 9. §. XXVII. num. 12. pag. 198.*

XVI.

Sed omnium (remediorum) *inſtar erunt aquae acidae ſi haberi poſsint, & nihil earum uſum vetat: quarum eximia vis in abluendis detergendiſque renibus, & ſimul deturbandis calculis omnis generis, experimentis quotidianis confirmatur* (a).

Aquam inſigniter calculoſis proficere, & vino, cereviciae, ac quibuſcumque aliis potuum generibus praeſtantiorem eſſe in morbis renum & veſicae, omninò certum eſt. Laudant aliqui aquam calidam ad praecavendam calculi generationem, ut Trallianus, Baglivius, Hoffmanus (b), eamque ſingulis diebus manè, aut proximè ante cibum ſumendam cenſent. Contra, alii aquae calidae uſum diu continuatum corpus calefacere, laxare, vireſque effoetas reddere, humores inflammare, vitiaque ſtomachi producere credunt (c). At aphoriſmus hic adductus loquitur de aquis mineralibus acidis, quales ſunt in noſtra Hiſpania in loco, vulgò *Puertollano*, quas in praedictis morbis maximo auxilio eſſe, multis probat Limonius noſter in numquam ſatis laudato opere de fontibus medicatis Hiſpaniae (d). Id non praetermittendum, Doctorem Julianum Gutierrez de Toleto, medicum ſummorum Principum Ferdinandi & Eliſabethae, ſub finem ſaeculi decimiquinti, librum ſcripſiſſe de calculo renum lingua vernacula, in quo, praeter inſignia monita practica, & eruditionem minimè ſpernendam, aſſerit, duos eſſe fontes in Baetica ſibi notos, quorum aquae à calculi generatione mirificè praeſervant. Eorum fontium alter eſt in Singilia (Antequera), alter in Julia Myrtili (Vaena) (e). Sed cir-

(a) Carol. Piſ. *de Morb. à colluv. ſer. ſec. 4. cap. 2. obſerv. 102. pag. 318.*

(b) Alex. Trall. *lib. 9. cap. 4 pag. 431.* Bagliv. *Prax. Medic. lib. 1. cap. 9. §. ult. pag. 71.* Hoffm. *Medic. ration. ſyſtem. tom. 1. lib. 2. cap. 6. pag. 112.*

(c) Cornel. Slingerland *Diſſert. de Noxis & abuſu cibi & pot. frigidi, §. 39. pag. 40.* Vide Avicen. *lib. 1. fen. 2. doctr. 2. cap. 16. pag. 38.*

(d) Limon. *Eſpejo cryſtalino de las aguas, lib. 1. tract. 3. cap. 2. pag. 171. & cap. 7. pag. 214.*

(e) Julian Gutierrez de Toledo *de la Cura de la piedra, y dolor de hijada, part. 3. cap. 6. pag. 30. Vide de fonte Singiliae laud. Limon. lib. 1. trat. 2. cap. 4. pag. 104.*

circa haec omnia monendi ſunt tirones, ut continuo obſervationum uſu, quae reipſa proſint aut noceant, attentè conſiderent.

XVII.

Qui ſaepe vomunt, & alvum lubricam habent, difficilius calculo corripiuntur (a).

Etſi Baglivius plura adducat non modò de calculo, ſed de aliis etiam morbis, quae nimis praecipitanter dicta ſunt, nec ſufficienti obſervationum numero comprobata, tamen quod de vomitu ad calculi praeſervationem tradit, aphoriſmi loco tenendum eſt: qui enim per intervalla debitis legibus vomunt, etſi alias proclives ſint, renum & veſicae morbis liberantur: quod argumentum praeter celebriores Arabes longè diſcutit laudatus Julianus Gutierrez, qui, regulas ad ſalubriter vomendum in hoc caſu, doctè & utiliter proponit (b).

CAPUT XVII.

DE MORBIS UTERI.

MUlierum morbi plures ſunt, & cognitu & curatu difficiles. Frequentiores tamen, & tironibus ſcitu neceſſarii ſunt menſtrua vitiata, uteri inflammatio, & affectio hiſterica. Menſtrua purgatio eſt: *Sanguinis ex utero ſingulis menſibus fluxus, ad ſpeciei humanae conſervationem media generatione inſtitutus.* In Phyſiologia ſatis, ejus originem, periodos, fines, mutationeſque, impraegnationis & partus tempore, adduximus (c). Solent menſtrua circa decimumquartum annum frequenter incipere, & ad quadrageſimum plus minuſve extendi; ita tamen, ut quemadmodum naturae lege, ad decimumquartum annum indeque uſque ad quadrageſimum, ſanguinem ex utero ſingulis menſibus fundere foemi-

(a) Bagliv. *Prax. Med. lib.* 1. *cap.* 9. §. *ult. pag.* 72.

(b) Julian Gutierrez de Toledo *de la Cura de la piedra, y dolor de hijada, part.* 3. *cap.* 7. *pag.* 31.

(c) *Vide Phyſiol. noſtr. tract.* 6. *prop.* 38. *num.* 162. *pag.* 310. *& prop.* 39. *pag.* 315.

mina debet, ita, eo transacto termino supprimi ex naturae instituto conveniat. Mutationes subinde graves sub his temporibus mulieres experiuntur, ut pluribus morbis sint obnoxiae, quibus non facilè liberantur, nisi mutationi necessariò contingenti sese accommodent. Quemadmodum puellae, dùm menstrua incipiunt, non statim sed lentè per menses, imò & annos ad evacuationem completè perveniunt, sic cum per aetatem ea supprimitur, non subitò sed plurium mensium, interdum etiam aliquot annorum spatio deficit; ut videre liceat, quibusdam mensibus fluere sanguinem, aliis intercipi, usquequo menstrua proluvies prorsus extinguatur. Sunt foeminae, quibus, menstruis jàm deficientibus, eorum loco purgatio humorum ex utero succedat. Caveant Medici ne medicamentorum, adstringentium praecipuè, farragine foeminas obruant, nihil enim aliud efficient, quàm eas, sensim laedendo, conficere. Satius ergo est, ut naturae legibus sese adstringant, & incommoda, si qua inde levia insurgant, prudenter tolerent, atque naturae negotium committant: quod si gravia mala inde eveniant, venae sectionibus identidem repetitis, pauciscque medicamentis temperantibus & utero prospicientibus, rem absolvant. Caeteras mulierum aegritudines, praeter mensium incommoda, inflammationem, & affectionem histericam, videant tirones in duobus Hippocratis libris *de morbis mulierum*. Nec pigeat nostrum adire Mercatum, & Herediam, qui mulierum morbos aptissimè, & prout practico usui convenit, persequuti sunt. Qui legere poterit Mauricii Cordaei, Medici Parisiensis, commentarios in primum Hippocratis librum *de morbis mulierum*, laboris non poenitebit. Nec omittendum, sub uno volumine, & uno *Gynaeciorum* titulo, edita esse omnium fermè Graecorum, Arabum, Latinorum, quotquot de mulierum morbis usque ad finem saeculi decimisexti scripserunt, opuscula, ubi, ut multa sunt vana & incongrua, sic plurima reperiuntur notatu digniſsima & utilia, quae alibi frustra quaeras. Vitiantur menstrua quantitate, cùm scilicèt nimium aut parcè fluunt: qualitate, cùm ob acrimoniam, tenuitatem, spissitudinem, aliasque id genus praeternaturales affectiones, foeminas variis symptomatibus molestant. Huc pertinet menstrui

trui repetitio bis aut ter intra menſem, numquam enim hoc fit in benè valentibus, ſed in his, quibus ſanguis tenuis & ſeroſus, conſtitutioque corporis laxa eſt, aut cum multus calor & acrimonia ſanguinis, & uteri, naturam ante debitum tempus ad fluxum irritant. Affectio hiſterica, ut communi Medicorum ſenſu accipitur, eſt: *Multorum, diverſorumque in univerſo corpore malorum congeries, ſaepe ſtrangulatu conjuncta, ex ſpeciali determinato uteri vitio procedens.* Sydenhamius auctor eſt, hanc affectionem in foeminis eam ipſam eſſe, quam *affectionem hypocondriacam* in viris appellamus (a). Contra, Hoffmanus hos morbos, ut omninò diſtinctos, deſcribit (b); ac licèt multam in ſymptomatum congerie ſimilitudinem habere videantur, omnibus tamen accurate, attentèque obſervatis, extra omne dubium eſt, affectiones eſſe diverſas. Utut ſit, certum omninò eſt, hiſtericum malum, vitiataque menſtrua ad ſymptomatum claſſem eſſe referenda, ita tamen, ut menſtrua ſymptomata ſint in excretis aut retentis, prout vitium in ſecretione vel ſuppreſsione eorum conſiſtit; at affectio hiſterica omnia ſymptomatum genera ſub ſe comprehendit. Cùm verò pars affecta ſit uterus, & morbus horum malorum generator ſit uteri inflammatio, non quaevis, ſed determinatae variaeque naturae, propterea operae praetium duximus, uteri inflammationem prius, deinde, quae ad menſtrua vitiata, & affectiones hiſtericas ſpectant, explicare.

Uteri inflammatio interdum phlegmonoſa eſt, ſaepe merè phlogiſtica, hoc eſt, calore partiſque corruptione ſpeciali, ſine tumore ullo, comitata. Uti phlegmonoſa inflammatio perpetuò eſt morbus acutus, ſic phlogiſtica variare ſolet, ut modò acuta, modò chronica & longa eſſe ſoleat. Quocumque autem modo inflammetur uterus, determinata & ſpeciali inficitur corruptione, quae per phoenomena morbum comitantia deprehendi debet. Quemadmodum acuta uteri inflammatio praegnantes & enixas, ſic lenta virgines maturaſque mulieres frequentius adoritur. Neque nup-

(a) Sydenh. *Diſſert. Epiſt. ad Guill. Cole, de Affec. hiſt. pag.* 140.

(b) Hoffm. *Medic. ration. ſyſtem. de morb. ſpaſm. part.* 3. *ſec.* 1. *cap.* 5. §. 5. *p.* 51.

nuptis omninò parcit, etsi hoc mali genere, non ita ut caeterae, moleſtentur.

Cauſae occaſionales plethora, obſtructio, & diatheſis nullibi clariùs elucent, quàm in uteri inflammatione. Sanguis tum copia tum quantitate uterum replens huic morbo anſam dare ſolet. Repletur autem ſanguine, quoties diaeta lautior, exercitii defectus, aut menſtruorum ſuppreſsio ipſum in ea parte nimium colligunt. Atque notare expedit, menſtrua ſuppreſſa interdum cauſam, ſaepe effectum inflammationis eſſe. Si ergo mulier firma & valens, ſub ipſo menſtruorum tempore, in aquam frigidam repentè immergatur, aut animi pathemate vehementiori agitetur, illicò ceſſant menſes, quorum ſuppreſsionem uteri inflammatio ſequi conſuevit. Quod ſi, ex aliis cauſis inflammetur uterus ſine ulla menſium culpa, etſi non perpetuò, tamen ſaepiſsimè menſtrua ſupprimuntur. Adde, uterum multò ſanguine perfundi, tum quod vaſa ſanguinea ampla & ſatis magna habet, cum maximè, quia ex naturae inſtituto ad eum fertur ſanguis magis, quam alias partes, pro uſu generationis. Obſtructio hanc partem prae caeteris occupare ſolet, eſt enim uterus receptaculum multarum impuritatum corporis, ibi enim undique confluunt humores, paratas namque habet vias natura ad expulſionem. Jàm verò ſi humorum craſsities, lentor, multitudo: aut ſtructurae uteri vitium ex irritatione, convulſione, compreſsione, ſeu alio quovis modo factum, dictos humores detineat, ut veluti incarcerati ſubſiſtant, neceſſe eſt calefieri, corrumpi, inflammari, atque adeò verae inflammationi fomitem praeſtare. Inter ea verò, quae obſtructionem in utero pernicioſam creant, adnumerandum eſt ſemen muliebre, quod, ſeu copia, ſeu acrimonia vitiatum, eam partem obſtruit, & ad aegrotandum diſponit. Idem dicendum de genitura viri in utero detenta, ibique putrefacta. Diatheſis omne vitium uteri ita comitari ſolet, ut nullum ferè ſit hujus partis malum, quod ſpeciali diatheſi non ſignificetur. Ab hoc certè procedunt tam rara & ſtupenda phoenomena, quae in foeminis utero laborantibus frequenter viſuntur. Hinc fit, ut variis diverſiſque modis mulieres ob eam partem affectam torqueantur. Semen retentum & uterum

rum obstruens dum à calore corrumpitur, mira adeò diathesi alteratur, ut stupendos in foeminis effectus producat, quos maximè, ob copiam & corruptionem genituræ, in coelibem vitam agentibus, & viduis facilè observare, licet. Inter causas efficientes, aër mirè uterum commovet. Passim videas ex temporum mutationibus, & vario aëris, coelique statu, foeminas ex uteri morbis vexari, ut benè & accuratè observanti frequenter obviae sint de hystericis affectionibus, & menstruorum mutationibus sese conquerentes absque ulla causa manifesta, cùm aër, earum alterationum auctor, non ita ut res caeterae, in conspectum veniat. Diaeta ad uterum laedendum maximè confert. Cibi crudi, aut multi, nimia abstinentia, exercitatio immodica tum mentis tum corporis, labor, vigiliae, potus nimium frigidus, aut calidus, cibi denique naturam gravare apti, aliaque id genus multa, ut lacticinia, cupediae, &c. uterum multis modis offendunt. Sed nullo in casu in conspectum magis venit vis pathematum animi ad morbos inducendos, quàm in uteri affectionibus, nam mulieres aliàs valentes & firmas, ex ira, timore, tristitia, spe, tremore subito, videas citissimè maximis malis ex utero conflictari. Causae istae efficientes aptae nataeque sunt ad varios distinctosque uteri morbos producendos, sed, his praesentibus, illud emergit malum, quod plethorae, obstructioni, diathesi magis accomodatum est, ut ex causarum occasionalium praedominio efficientes causae hunc laedendi modum, potius quam alium inducant. Ergo cum omnis inflammatio intemperies sit calida, plethora, obstructione, & certa diathesi conjuncta, ut vidimus in Pathologia, consequens est, efficientes causas superius memoratas hunc morbum inducere debere in mulieribus, ubi tres istae morborum occasiones cum calore & ardore in utero simul conjunguntur.

Uteri inflammatio, seu phlegmonosa, seu merè phlogistica cùm acuta est, praeter dolorem in infima ventris parte, & ad lumbos, calorem, aestum, tensionem, aliaque omnis inflammationis consectaria, totam alvum tensam tumidamque reddere solet. Mulier, seu praegnans, seu enixa (utrasque enim indiscriminatim hoc mali genus adoritur) lan-

guet, impatiens eſt, ſibi mori videtur, febre vehementiſſima moleſtatur, neque ſedere, neque ſurgere ſine difficultate poteſt. Caput dolet, in anteriore potiſsimùm parte uſque ad radices oculorum, crura gravia ſunt. Pulſus durus eſt, parvus, depreſſus. Anxietas urget: interdum dolor latera occupat, & ad claviculas extenditur, ut falſam pleuritidem mentiatur. Facies quibuſdam rubet, aliis decolor & triſtis. Sitis pauca: lingua leviter flaveſcens. Creſcente morbo, his accedit nauſea & vomendi deſiderium, interdum ſingultus. Quibuſdam alvus ſtricta cum aliqua in excernendo lotio impotentia: aliis fluida, varia, copioſa, foetens, ſummum virium languorem poſt ſe trahens. Jàm verò ſi ad mala acceſſus fiat, his ita conſtitutis magna, accedit implaciditas, ſpirandi difficultas, mentis alienatio, convulſiones, animi deliquia, extremorum frigiditas, pulſus parviſsimi, ſubita mors. Quod ſi morbo in ſtatu conſtituto, uteri purgatio accedat cum conferentia & tolerantia aegrotantis, atque interea remittit febris, accedit alacritas, eaque omnia ſudor calidus per univerſum corpus, aut crurum inflatio dolorifica conſequitur, ſalus expectari poteſt. Id non omittendum, praegnantes hoc morbo correptas ſaepe abortum pati, indeque in ſummum vitae diſcrimen incidere. Morbus hic acutiſsimus eſt, rarò quatuordecimum diem ſuperans, plurimaſque foeminas in flore aetatis conſtitutas letho committens. Hujus ſaeviſsimi mali exempla tradit Hippocrates in uxore Philini, Epicratis, Dromeadi (a), aliaque benè multa in hiſtoriis epidemicis, noſque in ejus Illuſtrationibus, quae ad inflammatorios uteri morbos, ad uſum practicum, congruunt, pro virili monſtravimus.

Inflammatio lenta, cum uterum occupat, mulieres non perpetuò lecto adſtringit, ſed interdum ad conſueta munia peragenda exurgunt, quas tamen languor, aliaque incommoda moleſtant. Foeminas cujuſvis conditionis, ſtatus, & aetatis adoritur, neque iiſdem ſemper indiciis manifeſtatur. Modò dolent circa pectinem, & lumbos, modò ſine dolore tran-

(a) Hipp. *lib. 1. Epid. ſec. 3. aegr. 4. 5. & 11. Vide Illuſt. noſt. pag. 188. ſeq.*

transigunt. At omnibus menses turbantur, seu nimium, seu parcè fluentes. Caput interdum dolore, non rarò fluxionibus molestissimis, tentatur. Quibusdam spirandi difficultas, aliis convulsiones advenire solent. In universum, omnes quotquot hoc malo tentantur, ataxia spirituum laborant, indeque levissimis de causis agitantur, & in motus irregulares adiguntur. Solent praeterea contristari, inappetentia affici, rubore faciei identidem suffundi, vertigine, orisque ventriculi molestia laborare. Deinde ad obeunda negotia pigrior foemina redditur, exolvitur, infirmatur, genua labant. Febris non adest perpetuò, sed per longa mensium, aut annorum intervalla febribus molestantur erraticis, saepe ad intermittentium naturam accedentibus. Id mali genus, quod modò describimus, per excellentiam à Medicis affectio *hysterica* appellari solet, quamquam vi vocis omnes uteri morbi histerici possint nominari, *hystera* enim à Graecis dicitur, quod à Latinis *uterus*, *vulva* vocatur. Cùm verò affectio haec incrementa suscipit, praeter jam dicta, plura alia symptomata creat, varia quidem pro idiosincrasiae & temperamentorum muliebrium varietate: nullaque fermè est corporis pars, quae hujus mali saevitia immunis servetur: non quod uterus huc illucque errabundè per corpus vagetur, ut crediderunt ex veteribus quidam Philosophi & Medici, quorum errorem anatomicum aptè refutat Galenus (a), sed ob summum uteri cum omnibus visceribus consensum. Hinc ex affectione histerica videas, caro, convulsionibus, epilepsia, passim affligi. Patiuntur etiam spirandi difficultates, dorsi & costarum dolores acerbissimos, lypothimiam, interdum etiam syncopam. Nec rarum est, nausea, eructationibus, suspiriis, alvi tumefactionibus, molestari. Sunt quaedam mulieres in cachinnos, aliae in fletus sese convertentes, omnes tamen vitam ducunt tristem, nec firmam nec valentem, ut quavis externa injuria facilè laedantur. At quibus menstrua, utero inflammato, nimium fluunt, languidae sunt, inertes, excarnes, decolores, cibos fastidientes, in iram pronae, debiles. Contra,

(a) Gal. *de Locis affec. lib. 6. cap. 5.*

cùm ſupprimuntur, ſi malum vergat in viſcera, ventris, aliarumque partium doloribus conflictantur: partium internarum inflammationibus fiunt obnoxiae: quandoque per os, nares, aut haemorroidas ſanguinem fundunt. Solet interdum hoc mali genus in habitum corporis tendere, quo vitio fiunt chloroſis, hoc eſt, pravus ex albo & viridi color, & leucophlegmacia, indeque facilis via ad hydropem paratur. Uteri inflammatio longa familiaris eſt virginibus, & foeminis aetate florentibus, eo praeſertim tempore, quo menſtrua aut fluere, aut intercipi debent. Vetulas id malum rarò affligit; quod ſi in juventa moleſtet, conſeneſcente jàm foemina, eam deſerere ſolet. Nec periculo prorſus vacat, cùm vehemens fuerit, & principes corporis partes occupat, viſum enim eſt aliquando, ex ſyncope, aut apoplexia ſubitò periiſſe, ita tamen, ut aliquae prius ut mortuae jaceant, nec ſemper moriantur: aliquae, amiſis omninò viribus, vivido faciei colore perfuſae pereant. Cùm malum ad ſuperiora converſum foeminas ſenſu motuque privat, dum ad ſe redeunt, ſuſpiriis, fletibus, lachrimis, paroxiſmo liberantur. Neque ignorare oportet, hunc morbum certis periodis & temporum intervallis denuò recrudeſcere, atque à repetito ſaepius abortu, crudo partu, longa viduitate, & continentia, ob diatheſim inde in utero naſcentem, ſaepe procreari.

Uteri inflammatio acuta eodem modo tractanda, ac caeterae partium internarum inflammationes. Venae ſectio identidem repetita praecipuum eſt hujus mali auxilium, ſed in praegnantibus, non ita copiosè ſanguis extrahendus, ac in puerperis, foetus enim inde facilè labefactatur. Sicut in utero gerentibus cavendum à medicamentis uterum commoventibus, ſanguinemque excitantibus, ne ſequatur abortus, contra, in enixis omni opera incumbendum, ut lochia (*ita* graeco vocabulo appellantur & ſanguis & quaevis alia uteri purgamenta poſt partum) fluant, appetit enim natura ea evacuatione purgari. Ergo aqua ex nitro, & ſyrupo capillorum veneris, borraginis, additis ſuccino albo, & matre perlarum praeparatis, ex uſu eſſe poſſunt. Purgatio prorſus fugienda, multoque magis emeticum, eaque ſolùm agenda

quae

quae temperando, diluendo, vulvamque roborando, naturam ad morbum vincendum adjuvant. Cucurbitulae ad femora, frictiones ad crura, magni uſus eſſe conſuevere. Hyſterica medicamenta, quorum magna eſt ſeges in hodiernis pharmacopoeis, cautè admodum ſunt praeſcribenda, magna enim ex parte inflammant, uruntque: atque in hoc malo memoria tenendum, calida medicamina perpetuò noxia, frigida non niſi cum grano ſalis prodeſſe, priora enim inflammationem augent, poſteriora uterum, indeque totum corpus, debilitant. Exterius linimenta ex oleo amigdalarum dulcium, lini, additis oleis camaemelli & lauri ſub pauca doſi, ad infimum ventrem juxta pubem applicata, inflammationem temperant, uterumque roborant. At ſi dolor urget & ardor, emplaſtrum ex lacte, mica panis, & croco, quod nunc anodinum audit, eodem loco applicatum, utile eſſe poteſt. Quaecumque medicamenta ex mirrha, caſtoreo, aſſa foetida, galbano: aut ex ſpiritu cornu cervi ſuccinati, ſalis ammoniaci: vel aqua meliſſae camphorata, aliaque id genus, in aliis uteri morbis fortè proficua, hic omninò fugienda. Id non omittendum, aquam frigidam, etiam nive refrigeratam ſub tempeſtate calida, in uteri inflammatione rectè praeſcriptam, maximum eſſe praeſidium. Juſculum pro tenui victu, ut in aliarum partium inflammationibus, eſt componendum, eique, ſi alvus nimium non fluat, tutò oleum amigdalarum dulcium ſub modica quantitate immiſcetur. Sunt qui hirudines ſinui pudoris (uteri vaginam vocant) applicant. In graviſsimo malo non omnino rejicimus, ſed, quantum fieri poteſt, vitandum remedium, taedii plenum & indecorum.

In inflammatione uteri lenta locum habet venae ſectio, quoties ſuppreſſa menſtrua aut malum generant, aut factum augent. De caetero huic evacuationi non nimis inſiſtendum. Aequè in inflammatione uteri acuta, ac lenta ſaphenam tundere expedit: nihil tamen obſtat, quominus interdum magna utilitate vena brachii aperiatur, ſi enim hepar, pulmo, aliaque viſcera in conſenſum adducta ſunt, ex ſupernis partibus extractio ſanguinis mirè levat. Purgatio nullum hic locum habet: at clyſteres intestina laxantes, & uterum roborantes ex uſu eſſe ſolent. Ergo decoctum capitis & inteſti-

no-

norum vervecis, additis floribus ſambuci, camaemelli, & oleo amigdalarum dulcium, pro clyſteribus optimum eſt. Suadendae ſunt foeminae, ut hujus mali curationem non ſuſcipiant, neque anxiè expoſtulent, ſi enim uſpiam alias, maximè hic medicina eſt, medicina non uti. Laudant plurimi caſtoreum, mirrham, ex iiſque efformatas tincturas, itemque aſſam foetidam, ſpiritum cornu cervi ſuccinati, aliaque in noſtra materia medica ſigillatim propoſita. Nec timent bezoardicum joviale, infidum & valens medicamentum, praeſcribere. Aliqui aquam meliſſae camphoratam multis laudibus extollunt, nihilque frequentius videas in libris & pharmacopoeis recentiorum, quam aquas, tincturas, balſama, aliaque id genus ſpecioſa medicamina ad hiſtericas affectiones. Ego haec omnia omninò damnare non auſim, etenim ſub aliquo caſu prudenter adhibita prodeſſe poſſe, non inficior; ſed parùm aegras hoc morbo affectas juvare, aut ſolatia tantùm fugacia praebere, experientia edoctus affirmo. Accurata diaetae obſervatio, animi tranquillitas, exercitatio modica, plus valent, quam omnes officinarum apparatus. Id non omittendum, hyſtericas foeminas ex odoratis rebus moleſtari, ex malè olentibus naribus applicatis benè ſe habere. Emplaſtrum ex galbano, aut oleo Mariae, ad formam & magnitudinem volae manus, umbilico appoſitum, aliquando prodeſſe vidimus. Quod ſi ſtrangulatus, ſyncopa, apoplexia, carus, aut alia mala periculoſa adveniant, per remedia iis affectionibus antea praeſcripta ſuccurrendum. Menſium ſuppreſsio, inflammato utero accedens, probè agnoſcenda, antequam remedia praeſcribantur, ſolent enim putidae meretriculae praegnantes ſub larva ſuppreſſorum menſium Medicos fallere, ut venae ſectionibus foetus flagitioſiſsimè perdant. Adlaborandum ergo, ut impraegnatio à ſimplici menſium ſuppreſsione diſtinguatur. Cùm menſtrua ex uteri morbo non fluunt, attentè conſiderandum, an plethora vigeat, an obſtructio, & quaenam diatheſis ſpecies uterum occupet. Vigente plethora audacter ſanguis mittendus, quod parcè admodum eſt agendum in praedominio obſtructionis. Quod ſi menſes deficiant ob ſanguinis defectum, ut accidit in mulieribus inedia ſeſe macerantibus, aut quavis de cauſa contabeſcentibus, inutile fuerit,

rit, imò & noxium ſanguinem minuere. Obſtructio uteri tolerat venae ſectionem, etſi eam moderatè exercendam ſuadeo. Si verò uteri vitium ex obſtructione reliquum corpus in conſenſum trahat, ipſumque chloroſi, aut leucophlegmacia afficiat, abſtinendum à venae ſectione, niſi ſpirandi difficultas aegram oppreſſerit. Cùm diatheſis uteri ea fuerit, quae aegrotantes in ſyncopem, & virium languorem adducat, cautè admodum, etiam ſuppreſsis menſtruis, procedendum in venae ſectione, ipſeque auctor fuerim, ut hoc remedii genus, non niſi ut extremum, ſub tali caſu tentetur, ſi vires hoc modo fieri permittant; ſecùs verò prorſus vitandum. Purgatio in menſtruis ſuppreſsis rarò admodum utilis eſſe conſuevit. Quod ſi vitioſorum humorum corruptela alvus infeſtetur, clyſteribus, & oleo amigdalarum dulcium identidem repetito, ſubducenda. Reliquum operis in curatione collimare debet in id, ut bona diaeta humectante aegra ſeſe reficiat, eaque medicamina aſſumat (ſi fortè Medicus conſultum ducit id malum medicamentis tractare) quae vias laxare, & aperire, uterum temperare, & pravam diatheſim corrigere, apta ſint. Cichoreum, taraxacum, naſturtium aquaticum, fumaria, becabunga, agrimonia: flores ſambuci, papaveris rubri, violarum, buglo-ſae: radices graminis, altheae, apii, rubiae tinctorum, aſparagorum turiones, uno verbo, aperientia temperata, optima ſunt pro menſtruis movendis auxilia, ſeu in decocto, infuſo, aut ſyrupi forma, vel in juſculis, pro re nata, per plurimum tempus utantur. Chalibs, ſeu, ut plures volunt, ferrum ipſum multis laudibus ab omnibus ferè extollitur; ſed cùm ex ſe adſtringendi vi potius, quam aperiendi polleat, his cautelis praeſcribendum. Primùm, corpore repleto ſanguine, aut obſtructione, ferrum noxium eſt. Secundò, ſi uterus nimium ferveat, aut reliqua viſcera caleant, ab hoc medicamento fugiendum. Deinde, non eſt imperandum iis, quae exerceri non poſſunt, omnia enim metalla naturae ſunt inimica, eamque ſtimulis exagitant, quae, ſi vincere non poſsit, fermè ſuccumbit. Mirandum ſanè, naturam, dum metallica corpora tamquam ſibi minimè congruentia, quaeque umquam ſuae conſtitutioni adaptare poſsit, expellere nititur, di-

diverſis viis id agere, ſeu vi propria, ſeu viribus ſpecifi-cis cujuſque metalli eam diverſimodè afficientibus. Sic mercurius per os cum ſaliva, ferrum vomitu aut ſeceſſu, antimonium (quod ſemimetallum eſt) ſudore ejicitur. Plumbum, aurum, argentum, aes, adeò immutari inepta ſunt, ut in corpore magno naturae detrimento diu reſtitent. Chimici, ut haec obſtacula tollerent, varias cum his corporibus inſtituere mixturas omnibus notiſsimas, ſed his nihil aliud effecerunt, quam metalla incruſtare & ſpecioſis formis induere, vires tamen ea corpora his laboribus non immutant, quinimo non rarò damnoſiora humano corpori ſunt reddita. Ergo in foemina mediocris habitus, plethora obſtructione & diatheſi correctis, crocus martis, aut ferrum ipſum ſubtiliſsimè tritum, ſub parva doſi, matutinis horis, exercitio corporis modico praeſcripto, menſes excitare interdum viſus eſt. In virginibus chloroſi infectis ſal ſeu vitriolum martis in aqua communi coctum, prout in noſtra materia medica deſcribitur, & per aliquot dies propinatum, vomitum materiae chlorae, hoc eſt, ex viridi palleſcentis, excitaſſe cum levamine, vidi. Aliud medicamentorum genus in uſu eſt ad menſes movendos, quod, ob vim fundendi ſanguinem ex utero, emmenagogum vocant. Talia ſunt ariſtolochia, artemiſia, uterque dictamus, ſed praeſertim creticus, matricaria, brionia, angelica, bardana, imperatoria, ſabina, anguilae hepar, caſtoreum, borax, mirrha, ſuccinum, aſſelli, gumi ammoniacum, aliaque benè multa, apud ſcriptores medicos paſsim obvia, ex quibus infinitae propemodum reſultant in pharmacopoeis ad movendos menſes pillularum, electuariorum, ſyruporum, trochiſcorum, aquarum, tincturarum, ſpirituum, confectionum formulae. Sed Deus bone! quam multa hic vana & noxia latent. Nullum hactenus inventum eſt remedium vi directa menſes movens ſanguinemque fundens. Ergo cùm praedicta medicamina non modò ſanguinem, ſed ſecundinas, foetum mortuum, aliquando expellere viſa ſunt, id orgaſmum, turbaſque excitando, calefaciendo, & irritando effecere, natura enim nimis commota eum effectum interdum produxit. Sed propter hunc effectum nimis violentum citata medicamenta ad

pro-

provocandos menſes minimè propinanda, niſi quis velit ignem foco addere, inflammationem augere, & graviſsima mala producere, atque, quod caput eſt, menſtrua rarò, & quidem fortuitò, his excitabit. Ergo in caſu extremo pro foetu & ſecundinis expellendis ea remedia tantùm utenda cenſerem. Si menſes nimium fluant, & tamen mulier ad conſueta munera prorſus inepta non ſit, ſolis analepticis, incraſſantibus, leviter roborantibus, res eſt agenda. Juſcula cancrorum, ranarum, carnis vitulinae, additis ebore & cornu cervi, & foliis vincaepervincae, ſaniculae, aliiſque herbis vulnerariis, utilia ſunt. Decoctum album Sydenhamii diu continuatum, lac caprinum, pulvere matris perlarum, cornu cervi, aut coralli immixto, ſi caetera conſentiant, proficuum eſſe conſuevit. Sub eo caſu pro utero roborando prodeſt emplaſtrum confortativum Vigonis, & pro matrice, lumbis appoſitum. Prodeſt etiam emplaſtrum ex ſiliquis arboris ceratoniae, vulgò *algarrobo*. Sed haec non niſi in caſu urgentiae permittenda. Quod ſi ſanguinis fluxus metum ſyncopis aut hydropis inducat, cortex peruvianus praeſcribendus. Sub eo caſu electuarium peruvianum adſtringens Fulleri optimum eſt. Trochiſci de Karabe, ſpiritus vitrioli cum ſyrupo de roſis ſiccis, ſub parva doſi, fluentem nimis ſanguinem coercet. Adjuvat etiam, ſeu per ſe, ſeu praedictis medicamentis mixtum, electuarium diaſcordii Fracaſtorii, opio enim medicamentis adſtringentibus & roborantibus juncto coaleſcit, qua ratione in his morbis caeteris narcoticis, quae non niſi nimium urgente malo exhibenda, praeſtantius eſſe, cenſeo. Sed notare expedit, ſanguinis fluxus rarò admodum adſtringentibus eſſe tractandos, neque haec medicamina, niſi in caſu magnae urgentiae, locum habent, poſt eorum enim uſum incluſo ſanguine in viſceribus phlegmones uteri, ſcirri, ulcera, dolores, aliaque lethalia mala ſuperveniſſe, ſcimus.

APHORISMI.

I.

Si mulieri praegnanti eryſipelas in utero fiat, lethale (a).

II.

Mulierem in utero gerentem acuto aliquo morbo corripi, lethale (b).

Utero gerentes, dum quovis acuto morbo tentantur, in diſcrimine verſantur morbo reſpondenti, ac periculum eſt abortus, quo fit, ut plerumque id malum lethale eſſe ſoleat. Nec intelligenda tantùm eſt ſententia de morbis acutis cum febre conjunctis, ſed de quibuſvis aliis, ut apoplexia, epilepſia, &c. omnes enim in praegnantibus periculoſiſsimi ſunt. Vidi aliquoties foeminas inſtante jam partu, epilepticis motibus concuti, quae, foetu, ſecundinis, & purgamentis excluſis, ad ſe redeuntes, tum demum valetudinem recuperarunt, fortè quia nimia naturae conamina in motus convulſivos tranſiere; at ſi, his omnibus excluſis, febris acuta perſeveret, aut de novo incipiat, rarò admodum, nec niſi poſt magnos multoſque labores, evadere aegra poteſt. Videndum etiam, an morbus acutus in praegnante ex uteri inflammatione, aut eryſipelate, vel aliorum viſcerum vitio ortum habeat, nam multò majus impendet periculum in primo, quam in ſecundo caſu. Jàm verò cùm inflammatio, aut eryſipelas uterum occupans, aequè in praegnantibus ac enixis, nec rarò etiam in aliis mulieribus, reperiri ſoleat, ex Gorteri obſervatione haec mala ita diſtinguenda: „ Si foe-
„ mina in infimo ventre ſentiat dolorem vehementem, ca-
„ lorem aeſtuantem, quae ſymptomata magis ſimul urgent
„ vaginam & pudenda, quàm inteſtinum rectum & veſicam,
„ quamvis ſemper hae quoque partes conſentiant, conſta-
„ bit ex his vel eryſipelas, vel inflammationem tentare uterum.
„ Sed ſi tunc ſimul per reliquum corpus habeatur febris re-
„ mit-

(a) Hipp. *lib.* 5. *Aphor. ſent.* 43.

(b) Hipp. *lib.* 5. *Aphor. ſent.* 30.

„ mittens magis, quam continua, cum calore mordaci, magis „ quam urente: si urina evacuata sit flammea, acris, pellu- „ cida, ad flavedinem vergens, ut plurimùm sine sedimen- „ to & sine signis coctionis: pulsus celer magis, quàm du- „ rus: sanguis emissus si fluidus ferè maneat & rubellus nul- „ lam cuticulam formans, judicabimus, uterum erysipela- „ te tentari. Sed si febris continua ardens, urina rubra saepe „ cum incipientibus signis coctionis, pulsus durus & frequens „ simul adsit, judicandum est, uterum inflammatione affec- „ tum esse (a).

III.

Recto intestino, aut utero inflammationem patiente, urinae stillicidium supervenit: & renibus purulentis urinae advenit stillicidium: hepati autem inflammationem patienti singultus advenit (b).

Intestinum rectum, uterus, & vesica partes vicinae sunt, ut unius malum alteri necessariò communicetur. Intestinum rectum inflammatum stranguriam inducere, jam antea vidimus (c): at uterum inflammatione aut erysipelate affectum urinae stillicidium producere, observatione notum est. Videre est foeminas strangurioſas ex inflammato utero, & etiam vagina, inflammatione lenta ex gonorrea gallica orta, quod nobis monstrat, remedia ad uteri malum tollendum esse dirigenda.

IV.

Hystericae (uterinae) *duritates in alvo admodum dolorificae, crudeliter atque citò pernicioſae* (d).

Si mala in aphorismo proposita febre acutâ conjungantur, magnam uteri inflammationem, aut erysipelas significant, ex qua celeriter moriuntur. Sed videre est interdum foeminas, ob uterum pravè affectum, tota alvo intumescere & dolere sine febre acuta, quod inflammationis lentae in utero

(a) Gorter. *Medic. Hipp. lib. 5. aphor. 43. pag 348.*

(b) Hipp. *lib. 5. Aphor. sent. 58.*

(c) *Vide supra, cap. 19. aphor. 12.*

(d) Hipp. *in Coac. Duret. lib. 3. tract. 3. sent. 18. pag. 445.*

ſignum eſſe ſolet. Semicupia, balneationes, fomenta ex anodinis medicamentis, proficua eſſe ſolent. De caetero, hujuſmodi duritates cum dolore, convulſiones, hydropem, aut acutas, lethaleſque inflammationes poſt ſe trahere conſuevere. Id mali genus eo tempore potiſsimùm foeminas affligit, quo menſtrua naturae lege, aut vi morbi detinentur.

V.

Quibuſcumque mulieribus, oborta febre, dolor mammarum incidit: inde nata ſputi cruenti, non foeculenti, expurgatio moleſtiam omnem exolvit (a).

Haec ſententia veriſsima eſt in foeminis, quarum menſtrua ſuppreſſa ſunt, potiſsimum ad quadrageſimum annum, circa id tempus, quo, inſtituto naturae deficere ſolent, tunc enim recurſus ſanguinis fit ad thoracem ob conſenſum hujus partis cum utero, ibique conſiſtens dolores cum febricula producere ſolet. Si ſanguis ex ore per ſputum, non foeculentus, hoc eſt, nec pure nec pravis humoribus mixtus, ſufficienti copia excernatur, morbus ſolvitur, quod, non ſemel in praxi me vidiſſe, memini. Medici ſub eo caſu ab adſtringentibus abſtineant, nec ſanguinis ſputationibus terreantur; alias enim ſanguis internè detentus, ibique corruptus, aut empiema, aut pthiſim generabit.

VI.

Menſibus copioſioribus prodeuntibus, morbi contingunt: non prodeuntibus, ab utero fiunt morbi (b).

Mulieres, etſi menſtrua benè procedant, iiſdem morbis conflictantur, ac viri, quorum fomes in viſceribus, aut aliis partibus deliteſcit; at menſtruis deficientibus morbi ſuccedunt, quorum fomes in utero eſt. Sed notare oportet, menſtruorum ſuppreſsionem modò cauſam, modò effectum ſeu ſymp-

(a) Hipp. *in Coac. Duret. lib. 3. tract. 3. ſent. 44.*

(b) Hipp. *lib. 5. Aphor. ſent. 57.*

ſymptoma morborum eſſe. Febres acutae ſolent menſes ſupprimere, atque interdum ſuppreſsio menſium acutas febres inducere ſolet. Videndae utique hiſtoriae epidemicae Hippocratis antea memoratae, ubi puerperae, lochiis ritè procedentibus, in acutiſsimos morbos inciderunt. Docemur hinc, magna cura procedendum in curatione morborum ex menſium ſuppreſsione.

VII.

Salutare eſt muliebria (menſtrua) *non cohiberi, nam inde veniunt epilepſiae: quibuſdam autem profluvia longa ventris, ut arbitror: nonnullis etiam haemorroides* (a).

Sicut foeminas ſtatis temporibus, juxta naturae inſtitutum, ſanguinem fundere, ſalutare eſt, ita menſtrua non procedere, plurima mala, mortemque ipſam accerſere ſolet, nam praeter ea quae in aphoriſmo traduntur, alia ſaepe multa eaque graviſsima patiuntur mulieres ex menſium ſuppreſsione. „ Quibus foeminis (inquit Celſus) menſtrua non „ proveniunt, neceſſe eſt capitis acerbiſsimi dolores ſint, vel „ quaelibet alia pars morbo infeſtetur (b). Si menſtrua cohibeantur ad quadrageſimum annum ex naturae inſtituto, turpe eſt ea velle provocare ad arcenda mala, quae inde veniunt, renuente enim natura irrita fiunt omnia: praeſtat ſub eo caſu, ſi morbi acuti non fuerint, ſeſe tempori committere, & paucis medicamentis occurrentibus malis obviam ire. Virgines paulatim incipiunt ſanguinem fundere, &, inſtar fructuum arborum, in dies matureſcendo, magis purgantur, quod notare volui, ne Medici puellas, dum menſtrua incipiunt, medicamentis torqueant, ut multum ſanguinis evacuent. Si verò in his, poſtquam apparuerunt, de novo ſupprimantur, in chloroſim alioſque morbos facilè incidunt. Placet hic ex Hippocrate, ſpeciminis loco, adducere malorum ſegetem inde provenientium. „ Virgines, quibus nuben„ di tempus adeſt, ni virum experiantur, affectui iſti (nem-

„ pè

(a) Hipp. *in Coac. Duret. lib. 3. tract. 3. ſent. 10. pag. 437.*

(b) Celſ. *de Medic. lib. 2. cap. 7. pag. 59.*

„ pè epilepsiae, terroribus, visionibus, tristitiae) magis fiunt „ obnoxiae, unà cum mensium reversione, antea non valdè „ hinc afflictae. Postea enim sanguis in uteros confluit ve- „ lut effluxurus: cum igitur osculum exitus minimè fuerit „ apertum, copiosior autem sanguis cùm ob cibos, tum ob „ corporis incrementum affluat, tunc sanguis effluvium „ non habens, prae copia ad cor & septum transversum re- „ silit. Cum igitur haec repleta fuerint, cor obstupescit, dein- „ de ex stupore torpor, & ex torpore dementia invadit... „ Cum autem hae partes repletae fuerint & horror cum „ febre irruit, febres errabundas appellant. His autem ita se „ habentibus ob acutam quidem inflammationem insanit: „ ob putredinem verò clamat: ob caliginem terretur & „ timet: ob oppressionem verò circa cor strangulatio- „ nem parat: ob sanguinis autem vitium animus moerens & „ anxius malum contrahit... Redeunte autem ad mentem „ homine, mulieres cùm multa alia, tum verò etiam prae- „ tiosissimas vestes muliebres Dianae consecrant, à Vatibus „ id jubentibus, deceptae (a). Jam verò quovis modo menses retineantur, haemorragia, varices, haemorroides, defectum supplere possunt, quamvis ea perfugia, cum naturaliter insti- tuta non sint, nec consueta, suspecta esse soleant (b). Ommitto alias vias, quibus natura suppressum sanguinem in foeminis ejicere solet, ut interdum per oculos, umbilicum, gingivas, inguina, vomitum, tussim, aliasque partes, menstrua fluxisse dicantur, de qua re plures extant apud Auctores Medicos historiae, quas suo more in unum collegit Sennertus (c).

VIII.

Suffitus aromatum muliebria ducit. Saepius autem etiam ad alia utilis esset, nisi capitis gravitates induceret (d).

Notum est, hystericas foeminas ataxia spirituum laboran-

(a) Hipp. *lib. de Morb. virgin. text.* 4. *seq.*

(b) *Mulieri, menstruis deficientibus, è naribus sanguinem fluere, bonum.* Hipp. *lib.* 5. *Aphor. sent.* 33.

(c) Sennert. *Pract. lib.* 4. *part.* 2. *sec.* 2. *cap.* 11. *pag.* 676.

(d) Hipp. *lib.* 5. *Aphor. sent.* 28.

rantes, odoratis ad nares applicatis offendi, graveolentibus verò levari. Sed utraque caput gravant, vaporosa enim substantia, quae ex illis exhalat, caput offendit, &, spiritus nimium agitando, turbat, quod non modò in mulieribus, sed in viris quibusdam contigisse vidi. Interius tamen assumpta aromatica, ut moschum, hystericas levasse vidi. Sic pillulas Solenandri apud Fullerum, ex pharmacopooea extemporanea, in mulieribus languidis, affectione hysterica afflictis, utiles esse novi, etsi moscho componantur.

IX.

Quae cadunt in hystericas sine febre convulsiones, faciles (a).

Agentes de convulsione vidimus, familiare id malum esse hystericis foeminis, quae, si absque febre sint, non multùm periculi portendunt, cum uteri inflammatio sub eo casu acuta non sit, nec diathesis putrida nimiùm vigeat. In his convulsionibus oportet vias uteri laxare, praescripto oleo amigdalarum dulcium: praestat etiam frictiones crurum instituere, & uterum nimis commotum paucis guttulis laudani Sydenhamii, adjecto pulvere succini, mitigare, quae omnia eò tendunt, ut per infernas partes humoris corrupti vis exhauriatur.

X.

Mulieri ab uterina passione vexatae, aut difficulter parienti, sternutatio superveniens bonum (b).

XI.

Ut secundae excidant, sternutatorio indito, nares & os apprehendere oportet (c).

Singultui sternutamentum prodesse jàm vidimus: ipsa etiam ratione hystericis foeminis utile esse, ex duplici capite deducitur: primùm, quia hysterica affectio, aut convulsiva est,

---

(a) Hipp. *in Coac. Duret. lib. 2. cap. 14. sent. 3. pag. 208.*

(b) Hipp. *lib. 5. Aphor. sent. 35.*

(c) Hipp. *lib. 5. Aphor. sent. 49.*

eſt, aut convulſionem inducere apta. Deinde, quia ſternutationibus vaporoſa ſubſtantia mirè excernitur. Alibi nos docuimus, quibus in morbis ſternutatio utilis, aut noxia ſit (a). Quod ad difficilem partum, & ſecundinas retentas, adde & foetum mortuum, attinet, non ubique ſternutamentum prodeſt, imo &, in pluribus caſibus medicamenta pro ſternutamento excitando applicare, noxium eſt, praeſertim ſi partus difficultas ex vitio organico uteri, aut pravo foetus poſitu contingat. Ergo cùm mater prae infirmitate parere non poteſt, foetuſque iners ſit, excitata ſternutatio partum optimè promovet. Quibus medicamentis id efficiendum ſit, ex materia medica innoteſcit.

XII.

Mulieri menſes decolores, neque ſecundum eadem (tempus & modum) *ſemper prodeuntes, purgatione opus eſſe, ſignificant* (b).

Menſium ſanguis, ſi mulier valeat, eſt velut à victima; ſi verò flaveſcens, pallidus, nimio ſero dilutus & decolor ſit, pravus eſt. Itaque aliquod acrimoniae genus ſanguinem occupat quod ipſum vitiat, atque Medicus ſolerti cura indagare debet, an acrimonia gallica, ſcorbutica, melancholica, arthritica, herpetica, &c. vigeat, eique per accommodata remedia occurrendum. Idem judicium eſto, dum menſes aut tempus antevertunt, aut nimium poſtponuntur, vel erratico modo procedunt. Sed qua purgatione hic opus eſt? Interdum, ſed rarò, ea quae fit per alvum, dum ſcilicèt ſigna ſunt corruptionis humorum in prima regione: ſaepe autem id purgationis genus inſtituendum, quod acrimonia ſubſiſtens expoſtulat, ut urinas movere blandis diureticis, exercitatione ſudorem leviter provocare, aliquando pro purgatione ſufficiat. „Non tamen praeciperem aliquo„ties ducere alvum (inquit Gorterus), majorem enim indu-

„ce-

(a) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Prognoſt. ſec. 2. text. 49. pag. 176.* | *& ſeq.*

(b) Hipp. *lib. 5. Aphor. ſent. 36.*

„ ceret debilitatem, ſed poſtquam corpus à cacochimia eſt
„ liberatum, ſatius erit, corporis vires firmare roborantibus
„ (adde & medicamentis acrimoniam ſpecialem corrigenti-
„ bus) ne nova generetur cacochimia, quae menſium ordi-
„ nem turbat, & pallidiorem producit ſanguinem (a).

XIII.

Si fluxui muliebri convulſio, & animi deliquium ſuperveniat, malum (b).

Duobus modis veritas hujus ſententiae palam fit. Sunt foeminae, quae, quoties inſtat menſium fluxus, aut ipſo jam incipiente, convulſionibus, & animi deliquio tentantur, quod indicat, debilem & morboſum eſſe uterum, ſpirituum ataxia laborare, & occultam aliquam acrimoniam & diatheſim ſubeſſe. Sagax Medicus haec omnia inquirat, ut medellam accommodatam apponat. Alter modus eſt, cùm ob niniam ſanguinis evacuationem convulſio, aut animi deliquium ſequuntur, quod fit in menſtruis, partu, & abortu. Sub eo caſu curandum maximè, ne adſtringentia adhibeantur, praeſertim validiora, nam etſi ſanguinem nimis fluentem cohibeant, ſaepe poſt ſe trahunt damna immedicabilia. Satius ergo erit foeminam alimento ſuſtinere, uterum ſuccino & caſtoreo roborare, & confectione Gentilis, aut hyacintorum, addito diaſcordio Fracaſtorii, impetum fluentis ſanguinis refrenare. Neque omittendum, rarò immodicum fluxum ex utero ſine ejus inflammatione & debilitate fieri. Atque hinc, ex nimio concubitu ſanguinem ex utero multum fluere, paſsim videmus, ſeu ob nimium calorem, ſeu ob ſeminis in utero putreſcentis acrimoniam: quod mali genus, in conjugatis familiare, abſtinentia & roboratione facilè ſolvitur.

XIV.

Mulieri menſtrua ſi velis cohibere, cucurbitam quammaximam ad mammas appone (c).

(a) Gorter. *Medic. Hipp. lib. 5. ſent. 36. pag. 340.*

(b) Hipp. *lib. 5. Aphor. ſent. 56.*
(c) Hipp. *lib. 5. Aphor. ſent. 50.*

Non ſolùm ad mammas, ſed in parte thoracis poſteriore juxta ſcapulas, cucurbitae admotae ſanguinem ex utero fluentem retrahunt, quod remedii genus, à veteribus eximiè commendatum (a), in deſuetudinem abiſſe, immeritò quidem, cenſeo. Ligaturae & frictiones, non quidem partium inferiorum (b), ſed brachiorum, in avertendo ſanguine ex utero, congruae ſunt.

XV.

Si verò frequentius occurrendo effecta fuerit valetudo chronica, interpolatione praedictis utimur auxiliis & competentibus exercitiis & varia geſtatione.... Deinde peregrinari terra marique eas jubemus, uti etiam aquis calidis, &c. (c).

Inter remedia hyſtericis praeſtantiſsima tamquam impensè ſanguinem ſpirituſque firmantia ponit Sydenhamius *equo vehi* (d). Ego autem obſervatione didici, nihil aequè hyſtericis, ſcorbuticis, atra bile afflictis, conferre, quam modicam exercitationem ſub aëre ruſticano. Quod aquas minerales attinet, non ita certum ſunt praeſidium, agitant enim multumque commovent, atque adeo debilibus, ataxia ſpirituum laborantibus, parùm firmis, rarò prodeſſe vidimus.

„ Hoc autem (inquit Sydenhamius) prae caeteris inter bi-
„ bendum obſervandum: ſi aegritudo quaevis ad ſympto-
„ mata affectionis hyſtericae referenda accidat, hoc in caſu
„ per diem unum alterumve aeger aquis abſiſtat, donec ſymp-
„ toma illud, tranſitum aquarum alias impediturum, pe-
„ nitus abeat... Quod ſi ipſae aquae, humores ac ſpiritus
„ exagitando turbandoque, aditum ſibimetipſis praecludant
„ quominus facilè tranſeant, videant illi quam importunè
„ agunt, qui medicamenta purgativa per harum uſum impe-
„ rant ſemel aut bis in ſeptimana ſumenda: vel, quod adhuc
„ ineptius, ipſis aquis immiſcenda praecipiant (e).

(a) Vide Celſ. *de Medic. lib. 2. cap. 11. pag. 83. & lib. 4. cap. 20. pag. 234.*

(b) Vide Sennert. *Pract. lib. 4. part. 2. ſec. 2. cap. 6. quaeſt. unic. pag. 673.*

(c) Moſchion *de Affect. mulier. cap. 129. Ginaetiorum, pag. 14. & 25.*

(d) Sydenham. *Epiſt. de Affect. hyſt. pag. 147.*

(e) Sydenham. *loco citato, pag. 146.*

XVI.

XVI.

Mulier, quae ſana erat & craſſa, à catapocio concipiendi gratia accepto dolorem habebat ventris & tormen in inteſtino, & intumuit, ſpiritus autem ſiſtebatur... & exanimata eſt quinquies, ut mortua eſſe videretur. Superfuſae autem illi ſuper corpus ſunt aquae frigidae amphorae circiter triginta, & ſanè videbatur hoc ſolum prodeſſe (a).

Plura hic ex Hippocrate monemur. Foeminis non concipientibus neque generantibus Medici non facilè praeſcribant medicamina, eas enim ſaepe perdent, atque optatum effectum vix umquam conſequentur. Sed fortia & valentiora medicamenta praeſcribere, temerarium eſt, omnis enim curatio ſi non juvet, ſaltim non noceat. Adde, ſterilitatem aeque in viris ac in foeminis ſubſiſtere, ut Hippocrates monuit in aphoriſmis (b), atque adeò cautiſsimè in eo negotio procedendum. Aquae frigidae perfuſio aeſtatis tempore in foemina robuſta affectiones hyſtericas mirè corrigit; cautè tamen hoc remedio in debilibus, morboque confectis utendum. Sed id audacter tenendum, calida medicamenta in uteri affectionibus rarò prodeſſe, ſaepe nocere. Cùm Galenus paſsionem hyſtericam inter frigidos morbos adnumeraverit, inde factum ſuſpicor, ut medicorum libri calidiſsimis medicamentis referti ſint ad eam ſanandam. Contra Valleſius: „ Conſtat, inquit, non unicam eſſe rationem ſuccurrendi „ hyſtericis, neque indiſtinctè calorificis eſſe ſuccurrendum „ eis, ut vulgaris praxis fert (c). Sydenhamius hac de re ita loquitur: „ Seriò interim animadvertendum eſt, nonnullas „ foeminas idioſincracia quadam ab hyſtericis illis medica„ mentis (quae pleriſque hujus morbi ſymptomatibus leva„ men afferunt & ſolatium) ita penitus abhorrere, ut non „ ſolùm non juventur, ſed etiam inſigniter ab eorum uſu „ laedantur... Quae quidem idioſincracia adeo inſignis & „ frequens eſt, quod, reſpectu ad eam non habito, egrae in

 „ diſ-

(a) Hipp. *lib.* 5. *Epid. text.* 40.
(b) Vide Hipp. *lib.* 5. *Aphor. ſent.* 63.
(c) Valleſ. *com. in lib.* 5. *Epid. Hipp. text.* 40. *pag.* 248.

„ diſcrimen vitae conjici poſsint (a). Solemne eſt quibuſdam foeminis, ob nimium uteri partiumque vicinarum ardorem, forte ex atra bile naſcentem, pulſationes ſat ſenſibiles & moleſtas arteriarum ſentire circa umbilicum, & in dorſo, quod mali genus eas moeſtas reddit, taedii plenas, & ſine cauſa manifeſta tabeſcentes, ut alibi notavimus (b). De hoc malo, ſicut & de reliquis mulierum affectionibus ita accuratè tractavit Mercatus noſter, ut diurna nocturnaque ſit manu verſandus. Poſtquam rebus frigidis tales foeminas tractandas ſapienter conſulit, ita demùm concludit: „Unum tamen in „ hac curatione praecavere oportet, ne vel nimiis exerci- „ tiis corpus plurimùm incaleſcat, vel in furorem foemina „ agatur, aut cruditatibus ſcatens in hypocondriacam me- „ lancholiam perquamfacilè degeneret: tandem utilius ſem- „ per eſſe duxi, paucis, & probo vitae inſtituto foeminam „ moderari, quàm grandi medicamentorum turba exhibita „ non ſolùm non prodeſſe, verùm in graviores & in im- „ medicabiles affectus corpus deferre (c).

CAPUT XVIII.

DE AFFECTIONIBUS ARTHRITICO-RHEUMATICIS.

ARthritis generale nomen eſt, quamvis articulorum affectionem morboſam ſignificans. Rheuma quemcumque humoris fluxum ex una parte in aliam. Rheumatiſmus vocabulum novum eſt à recentioribus inventum ad ſignificandum morbum, de quo apud vetuſtiſsimos Graecos altum eſt ſilentium, ipſi enim dolorem, quem nunc *rheumaticum* vocant, ad arthritidem referebant, & quidem meritò, nam articuli praeter oſsium conjunctionem, ex nervis, tendinibus, membranis, muſculis compaginantur, indeque fit, ut dolor eas partes occupans ad arthriticam affectionem, ubi praecipua morbi fomes continetur, optimè reducatur. Vana ergo eſt, & ad

(a) Sydenham. *Epiſt. de Affect. hyſt. pag.* 146.

(b) *Vide Illuſt. noſt. ad Hipp. Prog. ſec.* 1. *text.* 27. *pag.* 67. *& ſec.* 2. *text.* 75. *p.* 213.

(c) Mercat. *de Uter. morb. lib.* 2. *cap.* 7. *pag.* 577.

ad libitum excogitata distinctio arthritidis à rheumatismo, in eo consistens, quod hic musculos, illa articulos occupat. Inter posteriores Graecos invaluit usus, sub arthritidis nomine comprehendere affectiones dolorosas articulorum. Est ergo arthritis: *Dolorifica articulorum, partiumque proximè adjacentium, affectio, ex speciali inflammatione nata.* Symptoma & morbus in hac diffinitione comprehenduntur, etenim dolor symptoma est in actione depravata facultatis animalis non principis. Inflammatio, ut saepe dictum, est morbus intemperiei & organi. Pars affecta sunt articuli, non modò prout ossium conjunctionem, sed etiam nervos, membranas, tendines, musculos continent. Ut in qualibet inflammatione speciale vitium & corruptionis forma est, ita maximè arthritica à caeteris mirabili modo distinguitur, cùm ad suppurationem ex se numquam tendat; at fortè si aliarum rerum interventu interdum, etsi rarissimè, phlegmon articulorum suppuret, in gravissimo vitae discrimine aegros esse censendum. Arthritis, praeter communes aliorum morborum differentias, proprias suscipit, alia enim est stabilis: alia rheumatica. Stabilem voco (quoniam proprio nomine caret) eam arthritidem, quae fit ex inflammatione & corruptione humoris nativi articulorum. Madent perpetuò articuli humore proprio & peculiari ad pituitae naturam accedente, & non minus, ac humor iste, certo modo inflammatur, atque corrumpitur, ut modò phlegmonem, modò phlogisticum ardorem concipiat. Rheumatica arthritis ea est, quae fit ex fluxione humorum ad articulos, quod satis frequenter in praxi fieri, videmus. Insuper alia arthritis est universalis: alia particularis. Prima est, quae universos fermè corporis articulos occupat, seu quod morbus ab initio eos simul apprehendat, seu quod cursu morbi affectio ex uno articulo in alium migret, duobus enim his modis interdum id fieri, usus docet. Particularis arthritis est, quae membrum aliquod determinatum occupat, variaque nomina inde sortitur. Ita podagra est arthritis pedum: ischias coxae: chiragra, & gonagra manuum, & genuum dolores arthriticos monstrant. Dividitur etiam arthritis in acutam & chronicam. Acuta universalis, chronica particularis

ple-

plerumque esse consuevit. Cetmata, de quibus mentionem facit Hippocrates, sunt diuturni articulorum dolores, uti Martianus, qui in hac re, sicut in pluribus aliis, Hippocratis mentem assequutus est, clarè demonstrat. Denique arthritis est primigenea, ea scilicèt qua articuli primò afficiuntur: symptomatica, cum aliis morbis supervenit: anomala, dum ex articulis in viscera transfertur, quae etsi propriè tunc arthritis non sit, hic tamen eam adducimus, quoniam mala ex ea translatione evenientia in visceribus, intento animo ad humorem arthriticum sunt reducenda. Hanc divisionem non spernendam tradit Musgravius, qui arthritidis symptomaticae, & anomalae phoenomena doctè, & ex naturae instituto persequutus est.

Plethora communis causa occasionalis est arthriticae affectionis, tum maximè cum suppressis sanguinis evacuationibus viscera & partes replentur: ea enim est viscerum cum articulis communio, ut morbi facilè inter se communicentur. Qui haemorragiam narium consuetam habent in pueritia, dein, si sanguis fluere desit, in varias incidere molestias, sed praesertim in articulis, ex vero notavit Celsus (a). Idem intellige de haemorroidibus, & mensibus suppressis. Obstructio, non ea modò quae in articulis, sed quae in visceribus fit, occasio est arthritici morbi. Diathesis omnium maximè occasionem praebet arthritidi, etsi enim plethora & obstructio concurrant, nisi diathesis accedat, non fiunt arthriticae affectiones, necesse enim est, ut articulorum partiumque adjacentium humor, seu subsistens, seu fluens, certo ac determinato modo corrumpatur, ut arthritis inde eveniat. Debilitas articulorum, certaque labes à principiis generationis susceptа, seu aetatum cursu, variis vitae modis, morborum laboribus, atque certis temporum constitutionibus acquisita, diathesim huic morbo concipiendo aptam facilè promovent. Inter causas efficientes aër maximè conducit ad hunc morbum producendum, ver enim, & autumnus arthritica mala aut gignit, aut exagitat (b). Mentio fit apud Athenaeum

(a) Cels. *de Medic. lib. 2. cap. 7. pag. 59.*

(b) Hipp. *lib. 3. Aphor. sent. 20. & lib. 6. sent. 55.*

naeum morbi arthritici populariter vagantis, qui ſpeciali aëris vitio tribuendus videtur (a). Per ſiccitates etiam arthritides fieri, Hippocrates monuit (b). Diaetam ad morbos arthriticos producendos maximè conferre, nemo eſt qui neſciat. Abuſus vini, veneris: nimia ciborum copia & ingurgitatio indeque naſcentes cruditates: exercitia immodica: frigus improvidè ſub aeſtuante corpore ſuſceptum: ſomnus loco humido uliginoſo, aliaque id genus multa, arthriticas affectiones nullo negotio procreant. Animi pathemata, iram praeſertim & terrorem ſubitum, arthritica mala excitare & fovere, communi uſu intelligimus.

Arthritis acuta & univerſalis his ſeſe prodit phoenomenis. Rigor hominem prehendit, deinde febris ſatis vehemens, ſequitur alicujus vel plurium articulorum dolor. Si unus tantum articulus doleat, ſimul intumeſcit & inflammatur, poſt alius ſubinde articulus idem patitur, ut ſucceſsivè creſcendo, omnes fermè corporis articulationes eo modo laedantur, ita tamen, ut ſi morbus ex pedibus incipiat, ad claviculas terminetur, & contra. Neque omittendum, dum arthritis haec per omnes fermè articulos ſucceſsivè decurrit, priorem relinquere, aliumque ſibi ſuccedentem invadere, donec omnes fermè pervadat articulos. Somnus interea non omninò deficit: quamquam febris ſit acuta, ſitis tamen pauca, aut nulla. Aeger ad motum prorſus impotens, & ad ea, quae offeruntur, non malè ſe habet. Quatuordecim diebus hic morbus abſolvitur, neque multum alit diſcriminis, ſi rectè tractetur. Sudor ab initiis plerumque accedens aegritudinem hanc prorſus tollit.

Coxa Latinis, Graecis *iſchias*, ea oſſa comprehendit, quae abdominis pelvim componunt, qua inteſtinum rectum & veſica continentur. Cum hic oſſa ilei, pectinis, iſchii, & ſacrum mutuis nexibus cohaereant, facilè arthriticis doloribus afficiuntur, pars praeſertim poſtica, quae fluxiones ex ſpinali medulla facilè recipit. Ergo in hoc morbo dolor altius ad ſummum natem, interdum in magno ejus articulo defi-

gi-

(a) Vide Sennert. *Tract. de Arthrit. cap. 2. pag. 943. & quaeſt. 5. pag 959.*

(b) Hipp. *lib. 3. Aphor. ſent. 16.*

gitur, inde in femur, ſuram, & extremum pedem ſeſe extendit. Ipſum verò crus modò calidum, modò frigidum eſt, atque interdum eas partes tumor cum calore & rubore prehendit. Non rarò circa inguina dolor increſcit, & urinae difficultatem laceſsita veſica parit. Morbus hic modò ex ſe incipit: ſaepè poſt longum morbum, inclinata in coxam materia, gignitur. Vere atque aeſtate parùm: hieme & autumno multùm moleſtus. Sanè in hoc morbo dolores intolerabiles ſunt, & ante quadrageſimum diem rarò ſolvuntur. Dum verò dolor lumbos coxamque deſerens ad inferiores vertitur partes, ſperare benè licet: ſin contra ad ſuperiora perveniat, rem difficilem eſſe teſtatur. Id mali genus ſcorbuticos, hypocondriorum morbis affectos, cachecticos, conſtitutionibus pluvioſis invadere ſolet, bonis aegri rebus, ſi perita manu tractetur. Contra ſi res imperitè agatur, hydrops, claudicatio, atque in longiſsimum tempus morbi protractio ſupervenire ſolent.

Podagra autem pedes infeſtat, ingeritque tormentum vel maleolis, vel plantae, praecipuèque policis articulo. Igitur in his partibus tumor, rubor, calor, pulſanſque dolor eſt, ad ſuppurationem minimè vergens. At pedes debiliores fiunt, & emacreſcunt. Podagrici dolores, ſicut iſchias, reverti facilè conſueverunt, atque vere & autumno potiſsimùm agitantur. Si error non comittitur, intra quadraginta dies paroxiſmus ſolvitur, qui dum proximè accedit, per aliquot dies hominem fatigat malum anxietate, inappetentia, febricula, aliiſque id genus incommodis, quae prodromi ſunt venturae podagrae, ipſa autem jam praeſente facilè evaneſcunt. Podagra homines infeſtat laxa corporis conſtitutione & habitu praeditos, ſed ſimul ignea quadam vi pollentes, tum maximè cùm crapulae, otio, veneri nimiùm indulgent, atque à parentibus labem contraxerint. Diuturnus eſt hic morbus & fermè inſanabilis, utpote omnia remedia hactenus inventa reſpuit. Cumque divites & potentes homines plerumque invadat, inde omnium irriſor Lucianus occaſionem arripuit, dialogum de hoc malo conſtruendi, quem inſcribit *tragopodagram*, ubi vis & poteſtas hujus aegritudinis adeò extollitur, ut Principes & Reges ei ſubjici teneantur. Lectu digna eſt tragopodagra Lucia-

ciani tum ob alia, cum maximè, ut pateat, ab ejus temporibus usque ad nostra saecula id malum sub eisdem phoenomenis procedere,& omni remediorum generi resistere. Arthritica affectio, praeter jam citatos, alios etiam articulos, imò & ferè omnes occupare potest. Sunt qui varia nomina pro variis articulis hoc morbo prehensis novissimè invenerunt (a), sed tamquam non necessaria omittimus, cùm curationis modus idem sit in omnibus. Id notare expedit, in pectore juxta costarum articulationes etiam arthritidem fieri, & quidem frequenter seu post alios morbos, seu sub aquilonia aëris constitutione, quod seriò advertendum, quia id parùm considerare Medicos video, dum dolores fictis morbis & causis tribuere solent.

Arthritidis acutae curatio,ut caeterarum inflammationum, simplex omninò esse debet. Venae sectio sub initiis instituenda, quae identidem repeti potest pro morbi vehementia, nec tamen multùm sanguinis singulis vicibus extrahendum. Interea aqua simplex,cui nitrum purum immixtum sit, pro potu sumenda, atque oleum amigdalarum dulcium in jusculis propinandum. Exterius conferunt lintea aqua malvarum, sempervivi majoris, florum sambuci intincta. Possunt etiam potiones fieri ex absorbentibus & temperantibus, ut in aliis inflammationibus diximus. Fugienda omninò purgantia, & calida quaevis medicamenta. Sudor diaphoreticis non est solicitandus, nam praeterquamquod hoc medicamentorum genus sanguinem exagitat, neque aliter quam calefaciendo & irritando naturam ad violentos sudores provocat, id etiam incommodi habent, ut humores ad affectas partes nimio impetu ducant. Sudor ergo hic congruit, qui vi naturae, victo jam morbo, suscitatur. Syrupus vulgò *antirheumaticus* ex ligno sancto, sassafras, radice chinae, smilacis asperae compositus,summè noxius est, humores enim inflammat & adurit, atque arthriticum morbum in ardentem febrem facilè mutat.

Ischiadicus dolor, utpote longus, alio modo tractandus. Ante omnia medicamentorum farrago fugienda, etsi aegri

(a) Vide Sennert. *Tract. de Arthrit. cap.* 1. *tom.*4. *pag.*940.

vehementia doloris aflicti ea poſtulent, ſatius enim eſt conſolationibus animum revocare, quàm fictis medicaminum viribus homines imponere, aut praepoſtera remediorum applicatione malum ex ſe benignum, in malignum & fortè immedicabile convertere. Igitur ſi dolor nimium urget, aeger in ſemicupio collocandus, aut vena ſecta morbus leniendus. Confert etiam, urgente malo, emulſio ex amigdalis cum ſemine papaveris albi ad dragmam unam, aut ejus ſyrupo ad ſemiunciam. Ad narcotica medicamenta ex opio parata non, niſi in ſummo dolore, deveniendum, atque ſub eo caſu parva doſi praeſcribenda. Ergo cum dolor non nimis urget, praeſcribendum ſub initiis eſt oleum lini recentiſsimè extractum ad uncias duas, & identidem repetendum, donec alvus liberè fluat, aut ſaltim mollis reddatur. Poſt haec lac aſininum matutinis horis ſumendum per plures dies, aut ejus loco ſyrupus de mucilaginibus, vel de althaea Fernelii. His, aut ſimilibus medicamentis adjuvandus eſt aeger, ut quadrageſimum diem pertranſeat, qui enim citius quàm morbi indoles expoſcit ex continua medicamentorum applicatione ſanari voluerunt, in deteriorem ſtatum ſunt converſi. Exterius multa pro hoc malo laudantur, ut longum nimis foret ea enumerare, ſed magnam partem infida eſſe, obſervatione cognovimus. Emplaſtrum iſchiadicum adducit Fullerus, quod magnis laudibus quidam extollunt, ſed penes eos ſit fides. Igitur quies, diaeta, malorum tolerantia, & temporis curſus, praecipua ſunt hujus aegritudinis remedia. Haec ipſa, quae modò diximus de dolore iſchiadico, de podagra intelligenda ſunt, quam nemo mortalium hactenus ſanavit, plureſque fuerunt ex malo alioquin tuto ob improvidam curationem letho commiſsi. Omnis ergo utriuſque doloris curatio in praeſervatione conſiſtit, quam moderatiſsima diaeta, abſtinentia vini & veneris, lactis aſinini uſu ſingulis annis ad aequinoctia, eſu carnium quàm minimo, unicè conſequi poſſe, & prudentum, & medicorum conſiliis abundè conſtat.

'APHO-

APHORISMI.

I.

Senibus arthritides fiunt, &c. (a).

Arthritidis nomine, ut jam vidimus, intellexit Hippocrates dolores artuum, qui fiunt in nervis, tendinibus, & membranis propè articulos ſubjacentibus, ut ejus ſententiae de arthritide ad Neotericorum rheumatiſmum transferri debeant, noſque, ejus, omniumque veterum medicinae principum mentem ſequentes, ſub arthritidis nomine etiam vulgò nominatum rheumatiſmum intelligimus. Vidimus quidem atque accurata diligentia examinavimus quod Ballonius, Riverius, aliique Medici Galli primùm, deindè Hoffmanus & Sydenhamius de rheumatiſmo ſcripſere, nihilque effatu dignum proponunt, quo affectio haec à veterum arthritide diſtinguatur. Optandum enim eſſet, ut ex citatis auctoribus aliqui paulò attentius Hippocratis opera inveſtigaſſent, ut inde intelligerent, hodiernum rheumatiſmum à veteri arthritide non magis quam ovum ab ovo diſtare. Quod dicitur, rheumatiſmum muſculoſas inter articulos occupare partes, ſatis non eſt ad eas affectiones diſtinguendas, cùm dolor non muſculoſam carnem, ſed muſculorum tendines, nervos, membranaſque adjacentes occupare ſoleat, atque ſi res ſeriò examinetur, in femore (idem intellige de cruribus, brachiis, caeteriſque artubus) circa ejus medium, ubi carnoſa ſubſtantia viſitur, ſub ea proculdubio latent muſculorum tendines inſervientium motui oſsis femoris, aut tibiae, in quibus reſidet dolor, qui affectio eſt partium nervoſarum. Non igitur in iis diutius immoramur, quippe muſculorum fabricam & conexum ritè callentibus notiſsima ſunt. Quod ad Hippocratis textum attinet, non ſenes modò, ſed & juvenes arthritidi proclives ſunt, quoties articuli vehementius agitati calefiunt, aut ob ſuppreſſam aliquam eva-

(a) Hipp. *lib.* 3. *Aphor. ſent.* 31.

cuationem inflammantur. Hinc ſenes ob articulorum debilitatem arthritidi rheumaticae, hoc eſt, ex humorum fluxu naſcenti, juvenes arthritidi primariae proniores ſunt.

II.

In ſiccitatibus arthritides fiunt, &c. (a).

Rarò fieri arthritides à frigiditate, communi obſervatione notum eſt, etſi enim à frigore improvidè ſuſcepto (quod decepiſſe Galenum opinor morbum hunc inter frigidos numerantem) interdum naſcatur, inflammationem inde ſequi, ut in aliis morbis contingit, ob conſtipationem impeditamque tranſpirationem, planum eſt. Hinc Petrus Salius iſchiadem à bile fieri verè monſtravit (b). At ſiccitate etiam fieri, hoc eſt, à conſumptione glutinoſae humiditatis qua madefiunt articuli, tendines, & nervoſae partes, idem auctor perſpicuè patefacit (c). Sed in conſtitutionibus temporum ſiccis, arefactis partibus nervoſis articulorum: in convaleſcentibus à morbis longis, conſumpto nativo partium humido: in multùm vehementerque exercitatis, diſſipato partium nervoſarum glutine, arthritides fieri, quotidie videmus. Diſcimus hinc, id arthritidis genus non evacuationibus, ut vulgò fit, ſed analepticis juſculis, humectantibus, balneationibus, aquae frigidae copioſa exhibitione, recta tamen methodo praeſcriptae, eſſe debellandum. „ Ego (inquit Salius) ejus ſum ſententiae, ut in tanta articulorum „ exſiccatione omne evacuationis genus noxium ac ſuſpectum ſit, dictante hoc ratione, videlicèt evacuationes omnes, & praecipuè validas, non tantùm pravas & non naturales, ſed etiam naturales humiditates diſperdere (d).

III.

Quibus febres longae, his tubercula ad articulos, aut dolores fiunt (e).

(a) Hipp. *lib.* 3. *Aphor. ſent.* 16.
(b) Petr. Sal. *de Affect. particul. cap.* 16. *pag.* 287. *ſeq.*
(c) *Idem loco citat. cap.* 17. *pag.* 296.
(d) Salius *loc. citat. pag.* 299.
(e) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. ſent.* 44.

IV.

IV.

Quibus tubercula ad articulos, aut dolores ex febribus longis fiunt, hi pluribus utuntur cibis (a).

Duo maximè notanda hic afferuntur. Primùm, poſt longas febres dolores fieri & tumores in articulis. Alterum, id frequenter contingere iis, qui plurimo utuntur cibo. Non modò poſt longas, ſed ex acutis etiam febribus per modum criſis apparent dolores in artubus, qui ſaepe ſalutares, interdum noxii eſſe conſuevere. Igitur Medicus, dum ex acutis febribus videt dolere femora, crura, brachia, aliaſque partes corporis extremas, accuratè conſideret, num tota morbi materia ad artus ejecta ſit; ſi enim prorſus expulſa fuerit, etſi ipſi multùm doleant, ſalus ſpectanda; ſin minus, contra. „ Plerumque fit (ex vero inquit Alpinus) ut hi, qui do„ loribus (crurum, pedum, genuum, coxendicum, &c.) „ judicantur, in recidivam recidant, quod neutiquam mate„ ria illa ad crura, vel ad aliam quampiam ignobilem pro„ truſa totam cauſam morbificam adimat; ſi verò illis co„ pioſae copulentur vacuationes, judicium totum perficietur: „ oportet verò partes illas, ſi debeant ad febrem juvare, „ vehementer atque diu dolere (b). Diſcant hinc Medici, non ſtatim ad eos dolores tollendos accedere, importuna enim medicamentorum farragine humorem noxium ex artubus ad interiora revocant ſummo aegrotantium diſcrimine. Si febres nimium longae fuerint, vireſque validae, abſceſſus fiunt ad articulos criſeos modo, dum continuae ſint & conſtantes, aut erraticae; at ſi fuerint intermittentes, non tam abſceſſus quàm dolores circa articulos naſcuntur. Vidi non ſemel, poſt tertianas, & quartanas, crurum, & brachiorum dolores fermè intolerabiles, quibus deficientibus febres iterum ingraveſcebant. Oportet ergo in iis caſibus partes dolentes decocto emolliente fovere, & aegrum, ad ſuſtinendum malum per aliquod tempus, inducere, ſic enim fiet, ut febres

---

(a) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. ſent.* 45. *Vide etiam lib.* 7. *Aphor. ſent.* 63. & 64.

(b) Alpin. *de Praeſag. vit. & mort. aegrot. lib.* 2. *cap.* 19. *pag.* 140.

bres hujuſmodi penitus eradicentur. Videnda quae attulimus hac de re in Illuſtrationibus ad Hippocratis Prognoſtica (a). Sed praetereundum hic minimè cenſemus, quaſdam eſſe aegritudines longas, in quibus occulta febris nec pulſu cognita materiam morboſam ad articulos pellit, & artuum dolores creat. Viros hypocondriacos, ſcorbuticos, foeminas hyſtericas, virgines pallentes, homines ſtudiis & lucubrationibus nimium deditos agnovi, qui reipſa febricitantes, explorato pulſu febre carere videbantur, ſed, poſt vitam valetudinariam moleſtiis & aerumnis plenam, in articulares morbos, febre demùm conſpicua erumpente, incidiſſe vidi. Optimè Ballonius inquit: „ Alterum genus corporum ab iſta „ affectione corripi ſolitorum eſt eorum, qui jàm reapſe aegrotant, maximè verò morbo longo, ſed qui jam eſt deſiturus, „ aut falſa & precipite criſi videtur ſolvi, cùm tamen ſu„ perſit nec extinguatur... Potiſsimùm verò huic objecta „ ſunt morbo corpora illa, quae febribus ſynochis putribus „ corripi ſolent... Nec enim manifeſta febris eſt, ſed con„ cluſa quodammodo... Neſcio autem quommodo à febre „ immunes videantur, nec enim febrire videntur, ſaltem „ febre quae ſub ſenſum cadat... Quod autem iſta corpo„ ra bilioſa & melancholica febricitent ſuo modo ſuaque fe„ bre, id declarat quod perpetuò ferè doleant, & levi de „ cauſa... Et etiam dum valent, pulſus celeriores & fre„ quentiores habent... Ut intelligamus, quoſdam febre pre„ hendi manifeſta & cognitu facili, alios occulta qui febrire „ non videntur, quod non tam pulſu ſe prodant, quàm acri„ monia caloris in totum corpus fuſi, & tale genus homi„ num facilè in tabicas affectiones cadit (b). Quod ad plurimos cibos attinet, ut in textu Hippocratis dicitur, nihil eſt quod hic immoremur, cùm ſatis notum ſit, ingluviem, crapulam, venerem, uti plurium morborum, ita arthriticarum affectionum & fortè inſanabilium eſſe fomitem. Videndus utique Seneca, qui hanc hominum intemperantiam acutè

(a) *Vide Illuſtr. noſtr. ad Hipp. Progn. ſec. 3. ſent. 23. pag. 254. ſeq.*

(b) Ballon. *de Rheum. tom. 4. pag. 277. & 278.*

tè & verè pluribus locis carpit.

V.

Ubi ſentire coeperunt, ſanguis mittendus eſt. Id enim inter initia ſtatim factum, ſaepe annuam, nonnumquam perpetuam valetudinem bonam praeſtat (a).

Qui rheumatiſmum ab arthritide diſtinguunt hac lege tenentur, ut in arthritide parcè, in rheumatiſmo copiosè ſanguis ſit extrahendus, ea enim eſt, ut ipſi ajunt, hujus morbi conditio, ut ex multis venae ſectionibus non modò aegri non laedantur, ſed neque vires, ut in aliis affectionibus, imbecillae fiant (b). Sed falli hos homines, ex ficta diſtinctione arthritidis & rheumatiſmi, patet; ac licèt ſanguinis miſsionem in arthritide, ut plurimum, prodeſſe fateamur, tamen nimiam evacuationem contra naturae inſtitutum eſſe, vireſque ubivis labefactare, fidis obſervationibus edocemur. Melius Carolus Piſo, qui optima de arthritide praecepta tradit, venae ſectionem, affirmat, ad praecavenda haec mala, ſi non prorſus tollenda, multùm prodeſſe (c). Qui ergo arthriticis doloribus corripi ſolent, ſi, uti modica venae ſectione levantur, id remedii genus nimium exercent, in membrorum impotentiam, hydropem, aut tabem deveniſſe, animadvertimus.

VI.

Ego certè perſuaſiſsimus ſum, à jugi & ſaepe iterata experientia edoctus, catharſim omnem, tam per lenientia, quàm per fortiora medicamenta, qualia pro more articulis expurgandis deſtinantur, plurimùm nocere ſive in paroxiſmo ad minuendam materiam peccantem, ſive in fine ad diſsipandas morbi reliquias, ſive in perfecta intermiſsione & recta valetudine ut venturo paroxiſmo occurratur, purgatio in uſum revocetur (d).

Pur-

(a) Celſ. *de Medic. lib.* 4. *cap.* 24. *pag.* 237.

(b) Vide Ballon. *de Rheum. pag.* 275. *in Praefat.* Riverium *Prax. Med. lib.* 6. *cap.* 3. *pag.* 420.

(c) Carol. Piſ. *de Morb. à colluv. ſeroſ. ſec.* 5. *cap.* 1. *pag.* 406.

(d) Sydenh. *Tract. de Podag. pag.* 161.

Purgationem malam esse in rheumatismo, jam pridem monuit Ballonius (a), atque in arthriticis affectionibus purgationes laedere tum agitando, tum calefaciendo, tum denique irritando, experientia compertum est, ut mireris, Riverium, qui ex hepate calido rheumaticum morbum deducit, purgationem instituere, ad eum curandum, ex granis viginti mercurii secties sublimati cum granis decem scamonii, vel resinae jalapae (b). Fuit hic homo in sanguine mittendo, & purgando audacissimus, nullusque fermè morbus est, in quo utrumque remedium non praescribat, quod Hippocratis & celebriorum Medicorum doctrinae adversari, imò & ipsi naturae, à catharticis saepissimè abhorrenti, quivis intelligit. Caveant ergo tirones, ne hujusmodi medicamentum à Riverio praescriptum recipiant, quin potius Sydenhamii, veri naturae scrutatoris, vestigia premant. Idem quod de purgantibus inquit Sydenhamius, extendit ad sudores, quos in hoc malo medicamentis excitare velle, certò officere cernitur: unde aureum statuit monitum, Hippocratis verba: *Cocta non cruda sunt medicanda* (c), aequè in sudoribus provocandis, ac in alvo subducenda locum habere (d). Videant hinc, quàm longè à vero absint, qui in his doloribus syrupum, quem vocant antirheumaticum ex ligno guajaco, aliisque hujusmodi, audacter praescribunt, cùm nihil aliud efficiant, quam corpus calefacere, viscera inflammare, & aegros ad acutos morbos disponere: quod me nonnumquam vidisse memini.

VII.

Est & aliud symptoma non perinde crebrum, quod tamen aliquoties ipse vidi, metastasis scilicèt materiae peccantis in pulmonum lobos, &c. (e).

Arthritici morbi, cujuscumque demum conditionis illi fuerint, in alios morbos facillimè mutantur, quas muta-

tio-

(a) Ballon. *de Rheum. pag.* 278.

(b) River. *Prax. Medic. lib.* 16. *cap.* 3. *pag.* 420.

(c) Hipp. *lib.* 1. *Aphor. sent.* 22.

(d) Sydenham. *Tract. de Podagr. pag.* 161. Vide etiam Carol. Pis. *de Morb à colluv. ser. sec.* 5. *cap.* 1. *pag.* 408.

(e) Sydenh. *de Podag. pag.* 168.

tiones fermè omnes perſequutus eſt Muſgravius in laudato opere de arthritide anomala. Ac licèt cerebri, infimi ventris, omniumque viſcerum aegritudines ex materiae arthriticae decubitu in eas partes ſaepe eveniant, tamen familiariſsimum eſt, pulmones, inteſtina, & urinae vias occupare. Dum hanc mutationem Medici agnoſcent (agnoſcent autem facilè ex pregreſsis doloribus articulorum & artuum) lentè admodum procedant in exhibendis medicamentis, atque id intendant, ut natura humorem arthriticum ad proprium locum, articulos nempè, emittat, aut temporis curſu ipſum conſummat; vel aliqua utili evacuatione è corpore ejiciat. Ergo imperata quiete, tranſpiratione ſervata, alimento parco & temperante res tempori & naturae committenda. Solet interdum arhriticus humor occupare pulmones, aliaque viſcera, non metaſtaſi & decubitu, ſed quia, ob virium languorem, malum ex interioribus ad exteriora pelli non poteſt, atque ita podagricos mori vidimus, non quòd podagra aſcenderet (ſic vulgus loquitur) ſed quod ad pedes humor ob naturae imbecillitatem non flueret, quod in ſenibus, & morbo jàm diu laceſsitis contingere ſolet. Nec rarum eſt, ob humoris arthritici decubitum in interiora corporis fieri febres continuas, periodicas, erraticas, &c. quod probè in earum curatione notandum. Febres etiam tertianae in quibuſdam temporum conſtitutionibus fiunt, quae non ab arthritide proveniunt, ſed ipſae dolores arthriticos tamquam ſymptoma ſecum advehunt, atque cortice peruviano ritè praeſcripto citò fugantur (a). Quod enim Sydenhamius ait, corticem peruvianum diu uſitatum rheumatiſmum inducere, ulteriori obſervatione indiget (b); cùm enim febres intermittentes, in quibus cortex ſumitur, ex ſe ipſis dolores articulorum & artuum poſt ſe trahant, ut jàm vidimus, vereor, ne vir magnus cortici tribuat, quod morbo ipſi fortè eſt tribuendum.

(a) Vide Sauvag. *Gener. & ſpec. morb. claſ.7. §.3. num.9. pag.29. & claſ.7. §.31. pag.211.*

(b) Sydenham. *Obſerv. Medic. ſec.6. cap.5. pag.57.*

VIII.

Therapeia radicalis & usquequaque perfecta, qua quis etiam à diatheſi ad hunc morbum foret liberatus, adhuc in Democriti puteo latet atque in naturae ſinu reconditur (a).

Jàm pridem Lucianus in acuto & ſaepius laudando libello *tragopodagra* ſub perſona podagrae nullum eſſe ad eam vincendam remedium, confidenter pronuntiavit, quod nunc non Sydenhamii modò, ſed & omnium qui verè ſapiunt teſtimonio confirmatur: qui enim curationem podagrae promittunt, nebulones & circumforanei eſſe ſolent. Ergo podagrici & arthtiticis morbis ſubjecti, praeſertim chronicis, in id animum intendere debent, ut veris & autumni repetitiones, his affectionibus familiares, caveant, quod vita temperata & ſobria potius quàm remediis fiet; etſi enim diaetam lacteam quidam pro remedio podagrae attulerint, tamen ipſam malum ſupprimere, naturam debilitando, potius quàm extinguere, cum Sydenhamio credimus (b).

(a) Sydenh. *Tract. de Podag. pag.* 169. | (b) Sydenh. *Tract. de Podag. pag.* 164.

FINIS.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.
Epiſtola Catholica Beati Jacobi Apoſtoli, cap. 1. verſ. 17.